Od
2468

Od 2468.
40

XV fol 39.

~~XV f. 39.~~

E. XXII 475

74788

PLANGOR ET PLAVSVS URBIS GEDANENSIS

SEV

ORATIONES DUÆ.

PRIMA

SVPER EXCESSV

SIGISMUNDI III.

ALTERA

SVPER ELECTIONE

VLADISLAI SIGISMUNDI

REGVM POLONIÆ ET SVECIÆ &c.

publicè dictæ

à

JOHANNE MOCHINGERO.



BIBLIOTHEK ZUR DANZIGER STADT-BIBLIOTHEK

P·A·N BIBLIOTEKA GDAŃSKA

EX BIBLIOTHECA SENATVS GEDANENSIS

GEDANI,

EDITÆ SUMPTIBUS ET TYPIS GEORGII RHETII

ANNO

M. DC. XXXIII.

LVCTVS
SENATUS POPULIQVE GEDANENSIS
SUPER
EXCESSV
CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI
SIGISMVNDI III
POLONORVM REGIS ELECTI
SVEONVM HÆREDITARII
DUCIS PRUSSIÆ. &c.

DESCRIPTUS
ORATIONE
habitâ
in Gymnasii Patrii Auditorio maximo

præsentibus viris lectissimis ex omnibus ordinibus

ANNO M DC XXXII. DIE XXV MAJI.

â
JOHANNE MOCHINGERO GEDANENSI
Concionatore ædis Catharineæ & Rhetore Gymnasii.

DANTISCI,
Sumptibus & Typis GEORGII RHETII, Reip: & Gym: Typogr:

ANNO M DC XXXIII.

E. XXII 475

IMMORTALI
HONORI

SIGISMUNDI III

SACRVM.

APVD

AMPLISSIMUM SENATUM

URBIS PATRIÆ.

DEPOSITVM

AB

AVTORE.

AMPLISSIMI

PRÆCONSVLES ET CONSVLES.

AMbrosius Antistes Mediolanensis mihi exemplo præluxit, qui oratione funebri obitum Valentiniani Imperatoris prosecutus est. Eum sequi pium omninò videbatur, quum illætabile nuncium de excessu SIGISMVNDI III. Regis ac Domini nostri, Vrbem hanc luctu implevit. Debemus funeribus charissimorum quorumcunq; lacrymas, amoris, doloriscq; indices: at Regi nostro stipendiaria sit hæc oratio mea. Vobis autem eam exhibeo, quibus ratio Regiarum pensionum in hac Vrbe colligendarum est concredita: ut, si ita videatur, reliquæ opum vi adjiciatur, velut teruncius â cive non pecunioso quidem, at grato exolutus, animi solatijq; gratiâ super hoc lamentabili casu & in hac communi orbitate nostrâ. Vt enim nummis insculptis commendari solet ad posteritatem rerum cum publicâ lætitiâ conjunctarum memoria: ita hæ pagellæ inter omnes circumferant vestram meamq; mœstitudinem super tam tristi hoc obitu optimi & in nos benevolentissimi Regis, ad sempiternam posterorum recordationem. Cæterùm, nec vos quidem sine laude aut voto dimittere hîc congruum esset, quibus Optimus Maximus Rex Regum Immortalis benedicat, quòd Dominum vestrum optimis recordationibus prosequimini, & quàm ægrè eo careatis, cultu, sermoneq; exprimitis. Optimè sibi de fidelitate vestrâ polliceri potest, quisquis occupabit locum SIGISMVNDI. Cujus honorem commodis ac fortunâ vestrâ atq; civium charissimorum vos potiorem habuisse publicè constat. Valete, & feliciter rem agite: ut DEO charos, Regi fidos, Patriæ utiles omnis vos celebret memoria. Kalendis Juniis.

V. V. A. A.

fide observantiâ & votis deditissimus

J. M.

AVDITORVM CONVOCATIO.

AD

VNIVERSOS ET SINGVLOS

IN

URBE NOSTRA.

QVIBVS

MEMORIA

SIGISMVNDI III

VENERABILIS ET JUCUNDA.

LECTORES MEI

IN annos ire debet, quanto in luctu Vrbs noſtra fuerit, poſteaquàm amiſimus SIGISMVNDVM III. Regem noſtrum, canitie, prudentiâ, clementiáq; venerabilem; qui examuſim XLV totidem annis, quot CASIMIRVS JAGELLONIDES, quaſi DEus quidam Tutelaris, Vrbi noſtræ Regnoq; Polonico præfuit. Quapropter, ſi quidem id utile eſſe in eam rem poteſt, ego ejus negotij interpres ero, atque dicendo ſcribendoq;, quoad â me fieri poteſt, mœrorem hunc noſtrum exponam, ut iſthâc quâcunq; ratione memoria ejusdem poſteris prodatur. Non neſcius ſum multa hîc à me expectatum iri, verſaturo in amplisſimo dicendi argumento: neque ita mihi placeo, ut non perſpiciam, quid quantumq; ſit, quod præſtare poſſim. Verùm triſtitia, quæ animum meum in communi hac orbitate noſtrâ invaſit, ut confido, excuſabit me, ſi quid ornatiſſimo conſeſſu & lectiſſimorum hominum frequentiâ minùs dignum attulero. Nec in luctu verba pendenda; ſed affectum ſpectandum eſſe ſcimus. Neq; deerit argumentum veniæ, ſi fortean expectationi non reſpondero, â temporis brevitate: quum literis proditum ſit, Iſocratem decennium impendiſſe pectendo calamiſtrandoq; panegyrico. Denique, ſi quantumcunq; etiam ad dicendum ſe parandi tempus concederetur, non mei ſimilis tantùm, ſed diſertus quisque ſuam infantiam ſentiret in tam eximiis, tanti tamq; grandævi Regis virtutibus & meritis deprædicandis. Ideoq; quorumvis æquitas ſecurum me eſſe jubet, fore, ne piæ voluntatis officium temerè improbetur. In re tanti momenti & voluiſſe ſat erit. Sin digna auribus, præter ſpem meam, fuerit viſa oratio, probabitur: ſin ſecus, veniam merebitur â ſtudio colendi Regem tot annis de nobis optimè meritum. Civis Vrbis hujus Regno concorporis & indigena, cùm aliud præſtare mea tenuitas non poſſit, hoc conatu meum in manes Regis pientiſſimi affectum & cultum teſtari volo. Exemplo â pictoribus ſumto, qui quomodocunq; effingant, Regem depictum exhibent: vel ut eopſe ſuam in ſummam Majeſtatem obſervantiam exprimant, vel quòd perſuaſi ſint, charam multis mercem eſſe, eamq; juxtim vendibilem. Quamvis non me fugiat Alexandrum noluiſſe ſe pingi niſi ab Apelle, aut fingi niſi à Lyſippo, præſtantiſſimis ſuæ ætatis Roſciis; quibus artis gloriam non invideo, pietatis verò in Magiſtratum laudem nequaquam concedo. Adeſte tamen atque comparete, qui literas didiciſtis, vel rogatu meo, vel, ut vos per charum magè nomen obteſter, quibus Sereniſſimi SIGISMVNDI memoria ſacra eſt. Qui quondam magno numero denſâq; catervâ vicos oppleviſtis, eum videndi cauſſâ, quum Vrbem noſtram honore præſentiæ ſuæ illuſtravit.

Quum ſtudio effuſæ matres, & vulgus inermum
invalidiq; ſenes, turres & tecta domorum
obſedêre . .

Dicturus ſum, bono cum Deo, in Gymnaſii noſtri auditorio majori die XXV Maji horâ præcisè decimâ de cauſis, quæ nos pepulerunt ad luctum iſtum, in quo verſamur, ſuper exceſſu *SIGISMVNDI III. Regis noſtri: cui de felicioris vitæ luce, quâ nunc fruitur, gratulamur equidem; verùm de nobis dolemus in his tenebris relictis, usque dum aliud affulgeat ſidus ſalutare, quod precabimur. Valete. Scripſi die* XXII *Maji Anno* M DC XXXII.

ORATIO.

MAGNIFICI DOMINI PRÆCONSVLES ET CONSVLES, DOMINI MEI OBSERVANDI, SPECTABILES DOMINI SCABINI, REVERENDI FRATRES, EXCELLENTISSIMI VIRI & Auditores reliqui, Spectatissimi, Florentissimi, literaturâ & virtute undiq; ornatissimi

QVæ dicturus sum, æquis animis accipite, & aures benevolè advertite. Quod etsi in hoc argumento, in quo versabitur oratio mea, rogare vix est necesse: tamen, ut solemne teneam, etiam atq; etiam vos oro.

SIGISMVNDVS REX, PATERQVE NOSTER CLEMENTISSIMUS nobis hæc lugubria fecit. Cujus memoria per tot annorum seriem semper nobis suavissima fuit: nunc ê vivis sublati semel perquàm tristis est, & summo cum mœrore conjuncta. Ab istâ causâ est, quòd hi parietes, atque hæc subsellia, quæ ferè solent peristromatibus & aulæis ornari, ut coronam specie & splendore exhilarent; jam pullo & lugubri panno, mœstitudinis indice, instrata, cùm nobis collugere videantur, tum ad dolorem nostrum accendendum, si summo mœrori, qui cor invasit, quicquam accedere potest, nos impellant. Summus ordo Patrum & Procerum, qui splendore amictus dignitatem suam ostentare solet, togas talares atq; atratas humeris injecit: ut, quantam conceperit tristitiam, vultu, gestu, cultuq; præcipuè prodat. Religiosi Ecclesiarum Antistites, quàm acerbè ferant hoc fatum, publicè satis superq; testati sunt, & penè fletum planctumq; orationibus suis flexanimis nobis excusêre. Ad exemplum vulgo nobiliores fœminæ, hilaritatis & mundi studiosissimæ, non vestium tantùm, sed & oris purpuram aversantur. Campanarum murmura & lesi singulis diebus insonant, ac plangunt, amissum esse decus præsidiumq; nostrum. Deniq; & hoc Lycèum non ultima pars Vrbis nostræ, quid hoc de publico atque communi patriæ luctu sentiat, me interprete palam ad omnes dimanabit.

Cæterùm parva tamen ista sunt atq; exigua, quæ SIGISMVNDO nostro desideratissimo pro summis in nos beneficiis rependimus. Sive recolamus memoriâ, quæ alii in Regum, Ducumq; suorum funeribus celebrandis religiosè observavère: sive quæ â nobis jure suo quasi exigere possunt, nisi ingrati mori velimus, quàm plurima ac per tot annorum spatia ejus in nos continua merita. Apud omnes enim gentes, vel linguarum diversitate disjunctas, vel montium atq; fluviorum septis disseparatas, vel rituum atque legum varietate distinctissimas, tralatitium fuit: eorum, qui magistratum gesserunt, exequias pompâ & apparatu exquisito exornare. Quasi hæc non scripta, sed nobiscum nata lex esset, REGEM HONORANDUM esse, cùm vivum, tum exanimum. Vt de vetustissimis atque certissimis primo loco dicamus, è sacris monumentis constat, præclarum fuisse studium gentis Hebraicæ in Mosen, qui populum ex Ægypto eductum in libertatem asseruit. Eum enim vitâ defunctum, & in monte Nebone divinitus sepultum universa multitudo tricenos dies luxit, diutius luctura (ut credere fas est) nisi mos gentis obstitisset. Totidem quoque dies deplorarunt Aaronem, cùm ê vitâ dignitateque Summi Pontificis, quæ primò in eum unquam collata est, evocatus esset. Quisquis adfuisset in utroque funere vel spectator vel auditor, admiratus esset ejulatum planctumque genti familiarem. Quo viso auditoq; Cananæi in justis Jacobo persolutis obstupuêre. Quid, quod Saulis quoque primi suæ gentis Regis, nec usquequaque boni, qui in Philistæo bello interitus sui præscius & acceleratior occubuit, corpus, quod in mœnibus urbis Bethsanæ ab hostibus ad ludibrium gentis in crucis patibulum sublatum erat, Jabisani cives periculo se fortiter exponentes, hostibus atque ludibrio surripuêre, ac cadaver funerarunt publico luctu, jejunio septem dierum omni ætati atque sexui indicto. Vt minùs mirandum sit, Josiæ undecunque optimi ac penè innocentis Regis exitum huic populo tam luctuosum fuisse. Vt ipse divinus vates, ætate ei suppar, næniam super eo, composuerit, quo cum certarunt lugendi & lamentandi studio

Deut: XXXIV

Numer: XX

Genes: L

I. *Sam:* XXXI

II. *Paralipom:* XXXV

Musici

Musici Musicæque omnes. Ac pòst omni ætate tam jucundum hujus Josiæ nomen fuisse celebris in gente istâ scriptor Sirachi filius memorat, ut suffitus unguenti naribus gratissimus est, aut mel in ore, vel melos in aure. Si porrò ad profanas literas digredi lubet, plura reperiemus, ê quibus quædam impiam nationum pietatem equidem præ se ferent; at intolerabilem subditorum mœrorem ob Regum suorum interitum indicabunt. Ægyptii, ut Diodorus refert, Regis sui mortem communi mœstitiâ luxerunt, vestes lacerârunt, templis clausis forum non frequentârunt, festa solemnia non egerunt dies LXXII, luto capita deturpantes, ac sindone subtus mammas cincti unà viri mulieresq; circumambulaverunt, bis in die novantes luctum, atq; ad numerum cum cantu virtutes Regis numerantes: cibis animantium, coctisq; ac vino & omni mensæ apparatu abstinuêre: LXXII dies itidem non unguentis, non stratis, lectis nec Venere usi sunt: sed tanquam defuncto filio per eos dies mœrentes planxère. Apud Græcos verò, quod magè mireris, usurpatum fuit, ut imperatore aut duce fatis perfuncto, cùm funus efferebatur solemni pompâ, propugnacula ê mœnibus diruerentur, templa & aræ subverterentur, Lares abjicerentur (vah pietatem paganam!) partus exponerentur, cibo astinerent, ignis quoq; extingueretur. Hos secuti sunt Romani, â Græcis non pauca mutuantes, â quibus, ut discere est ex Tranquillo, in ipso die, quo Germanicus Drusi filius extinctus est, lapidata sunt templa, subversæ Deûm aræ, lares â quibusdam familiares in publicum abjecti, partus deniq; conjugum expositi, ac penè insano & furioso mœrori vehementer indultum. Ast verò, ut infinitum esset plures solemnium varietates, aliis populis, etiam recentioribus, frequentatas dicendo exponere: ita absonum foret, Polonorum in demortuos Reges observantiam hoc loco nec commemorare, nec laudare. Illi, quum Boleslaº I. qui Russos inprimis obnoxios sibi reddidit, â quibus Chrobri, hoc est acris, ob animi magnitudinẽ, cognomen accepit, mortalitatis legem explevisset, optimo Principe orbati annũ solidum in tanto luctu fuerunt, ut neq; convivia ulla celebrarentur, neq; choreæ usquam agerentur, neq; vestibus cultioribus quisquam nobilium virorum aut fæminarum uteretur.

in lib: Sirac: c: XLIX

lib: I. *c:* VI

Alex: ab Alexand: lib: III *cap:* VII

in Caligulâ.

Neugebauer in Icone & vitâ Boleslai I.

Imitantes in eo pietatem Romanorum, qui, Constantino M. mortuo, foris ac ludis abstinuerunt, & omninò omnia, quæ prosperis lætisq; temporibus celebrari solita erant, intermiserunt. Ac matronarum ex eâdem gente, quæ aliâ tempestate Brutum & Valerium Poplicolam luxêre auro & purpurâ abstinentes. Nec ullâ ratione præterire possumus descriptionem exequiarum Sigismundi Augusti tanto Rege ac Regno prorsus dignarum, hoc est, non minùs luctuosarum, quàm apparatissimarum. Quicquid mortale Regis fuit, Varsaviâ devehebatur Cracoviam, quæ Regnum exambientibus, Coronam; Regno, vitâq; defunctis sepulturam præstat. Reipublicæ Proceres utriusq; ordinis confluxerant ad funus cohonestandum, omnes lugubribus induti. Similiter aderant matronæ illustres pullis velamentis atq; ciliciis capita obvolutæ ad testandum dolorem. Æra circumquaq; perstrepebant, quibus urbs & vicinia latè personabant, ut clamor cœlo iret. Tum funus plumbeo loculo inclusum & serico velamine nigro obductum, insignibus Regni ornatum, ab octo equis miræ nigredinis efferebatur: aulicis circumquaq; serici villosi tegumenta longè per terram errantia tenentibus. Pòst longum syrma Primorum ac catervæ sequebatur. Omnibus unus habitus. Etiam equi pretiosi instrati erant, & Regis insignibus armati, ac vexilliferi equis insidentes. Funeri propè anteibat Bernhardus Macejovius totus cataphractus gladium auratum cuspide ad latus converso gestans, quem armiger atratus hastâ inversâ sequebatur, vexillum ac scutum præferens. Reliqui ê Senatoribus, pomum, sceptrum, coronam, summarum dignitatum symbola, portabant. Cantores decantantes threnos subsequebantur Legatos, Nobilitatem & Senatum urbis. Hinc plus quàm quatuor millia cum funalibus accensis. Cùm in ædem cathedralem, quam undiquaq; cerei illustrabant, ventum esset, feretro regalia imponebantur & Regis virtutes funebri sermone sunt expositæ. Deinde sacro piaculari instituto, cataphractus eques cassidem habens plumarum loco cereis ardentibus radiantem equo dilabitur, confractâq; hastâ gladium abjicit & solemni cantione inchoatâ Cancellarius & Procancellarius Sigilla Regis mortui confringebant. Cæteri sceptra altari imposue-

Sigon: lib: V

Sabellic: lib: VIII *Ennead:* II

Vide Neugebauer in Historiâ Pol: lib: IX *pag:* DCXLIII

runt, quibus factis ire licuit & concio missa est. Eâdem celebritate in Mausolæa majorum cum Artemisiæ suæ cineribus inferentur exuviæ SIGISMUNDI, qui nunc relictam in orbitate universam Poloniam mœstissimo luctu implevit. Posteaquam more prisco, quod felix fortunatumq; siat genti Polonicæ, salutiq; nostræ, alius Rex suffragiis Procerum suffectus fuerit. Sic enim in hoc Regno comparatum est, ut securitate publicâ vix salvâ permanente Regii manes tutò condi possint, nisi novi Regis autoritas quidvis licenter ausuros sub metu teneat.

His exemplis, AUDITORES, nostrum accedet, quum in præsentiâ lugemus obitum SIGISMUNDI nostri, ut justa ei, licet absenti, persolvamus. Inprimis tanto, tamq; in nos propenso Regi. Qui imperio DOMINUS, affectu PATER fuit. Quod cùm antè sæpè cognovimus, præsertim in turbis nuperis recentia, eaq; luculentissima ejus rei documenta accepimus. Quàm ille absens crebrò ad Senatum nostrum (quod præsens æquè fecerat) in clementissimis suis atq; auro contrà servandis, non tam ad fidem, constantiam, & pristinarum virtutum laudem toti orbi notam nos hortabatur: quod fieri non necesse arbitrabatur, nihil dubitans de istis, quod iterum iterumq; in compluribus literis diserte indicavit; sed ubertim curam atque Regiam solicitudinem suam de Vrbe optimè de se meritâ, saluteque nostrâ inviolatâ servandâ exposuit, explicavit. Eam ob causam ipse à militari strepitu alienissimus & senilem requiem anhelans spretis omnibus difficultatibus atque molestiis (verba Regia usurpo) cum valido exercitu ad defensionem, præsidiumq; nostrum Vrbi se admovit. Paratus canos suos periculis objectare, ut à nobis impetum malorum imminentium quâcunque ratione propulsaret. Cæterùm, quæ promissa in sacratissimis ejusdem epistolis circa hanc tempestatem scriptis legantur, illi norunt, qui eas viderunt, & ad quos istæ spectant. Inter quæ hæc sunt, quæ ex datis die XXV. Julii. ANNO M. DC. XXVI. & ipsius Regis manu recitare honorificum videtur, ac rei confirmandæ maximè idoneum. *Nos non tantum fidelitates vestras usitatis Clementiæ nostræ favoribus prosequemur: verùm etiam amplioribus immunitatum & privilegiorum gratiis augebi-*

è literis datis die XVII *Septembr: Anno* M DC XXVI

augebimus. Quæ sanè velut liberaliter Rex clementissimus in his aliisq; literis pollicitus est: ita suo loco & tempore implevit. Hîc meritò atq; opportunè commemorabo gratiam Vrbi nostræ concessam & Procerum Regni suffragiis confirmatam, de autoritate muniendi panni transmarini sigillo Vrbis nostræ: ne ullus imposterum pannus ejus generis in Poloniam liberè transportetur, ubi frequens & prodigus ejus usus est, nisi qui fide nostrâ approbatus & commendatus sit. Quæ & quanta Regis in nos gratia, ac memorabile benevolentiæ suæ munus sit, censeant, qui velint, modò nobis non usquequaque malè velint. Quantumcunque etiam aliis placitum fuit, ut expiraret hoc beneficium, Rex tamen in eâ sententiâ perstitit, non invidendam nobis eam gratiam: quibus deberetur & æs præsens quingentorum millium & alia rerum honestè gestarum præmia: sed ut eâ â Se Regnoq; velut benè meritis liberaliter concessâ utamur, fruamur, gaudeamus. Quasi eopse nobis æternam sui memoriam commendare voluerit. Non secus ac optimis recordationib⁹ prosequi necesse habemus benevolentissimum in nos Regem, ut cæteras ejus dotes, quibus cumulatè instructus fuit, silentio veneremur, CASIMIRUM Jagellonidē: à quo prima privilegia, præcipua gratiæ suæ in nos pignora, cum sempiternâ Casimiriani nominis recordatione possidemus: postquam nos in fidem clientelamq; suam ac Regni Poloniæ suscepit & nostra in Regnum studia prolixè laudavit & approbavit. Quæ hactenus dicta sunt Rempublicam concernunt, quam SIGISMUNDUS Rex velut in sinu suo fovisse & gestasse videtur: quod eo etiam argumento testatum fecit, cùm ferè ab iis, qui ex hac Vrbe in conspectum suum venerunt, sæpius scisciatus fuit: Quid Gedanenses mei? Quam Regiam, paternamq; eius solicitudinem meritò extollimus & exosculamur. Quid dicam? quantâ ille comitate coluerit Consules nostros. Vidit hanc plebs, cùm Rex intra hæc mœnia nostra fuit. Eandem gratâ memoria conservant alii, qui eam sibi Warsaviæ exhibitam norunt, & gratulantur sibi. Canum caput nonneminis, quod nos memoriâ tenemus, ita amplexus est, ut non obscurè indicaret, quàm non ignarus esset fidelitatis & operæ sibi, honoriq; suo conservando ab eo na-

extat hac de re Constitutio Regni publica Aō: M DC XVIII *promulgata.*

vatæ. Alterius caussâ cùm ad Summatem Germaniæ scripsisset & optimũ Senem laudat, quem propenso suo affectu specialiter dignum judicaret: & plurima integritatis ejus ac summi de Se præclarè majorum suorum exemplo optimè merendi studii argumenta, quæ edidit, innuit. Longum & invidiæ obnoxium foret, aut alia venari, quæ me latent, aut ea propalare, quæ latent, & inter totidem periere, quot Rex & illi sunt, qui tantâ floruêre gratiâ, ut quem locum apud SIGISMUNDUM obtinuissent, quoq; numero essent, probè intellexerint. Nec civib⁹ quidem nostris aditus ad Regem, ut omnibus obvius & expositᵘ fuit, difficilis: quos semper habuit cum reliquis quibuscunq; in charissimis. Possem istud, si opus esset, exemplis speciatim firmare; sed summa tantùm rerum, Regiarumque virtutum fastigia ostendo. Quas inter non postrema est, si civitates civicosq; habeant in deliciis. Nescio, quî multis, quod veniâ bonorum Numinum dixerim, in tantâ potentiâ, quum unus imperitat multis, invidiosa & invisa sit Vrbanorum fortuna. Quibus volupe est non tondere tantùm, sed & deglubere pecus Vrbicum: atque malunt multos vicanos sanguinis operam præstituros, quàm istos intra aggeres & cryptas cuniculos: Qui, quod simul liberè agnoscimus, opibus suis turgidi ubera sua subtrahunt, & dentes quandoque obvertunt. Alia mens fuit SIGISMUNDO I. qui cùm probè pervidisset, in tantâ Reipublicæ Polonæ felicitate, vix quicquam ei deesse, præterquam urbium copiam & splendorem, ac qui eas incolunt: impensè favit iis, qui artes vitæ necessarias & urbes excolerent. Hujus in Regno successor & providentiâ civili suppar SIGISMUNDUS noster, cognominis vestigia premere voluit: & urbium vel conservandarum vel ornandarum frequentes cogitationes habuit. Vtriq; verò exemplum reliquit CASIMIRUS Magnus in oppidanos atq; agrestes propensissimus ac indulgentissimus. Vt vulgò rusticorum sive plebejorum Rex vocaretur.

Herburt: in Chron: lib: XX *cap:* IX

Neugebauer in histor: Polo: lib: III. *p:* CCV

Hunc, hunc Regem, hunc Parentem, concives mei, habuimus. Luctus & mœror, qui ferè præpedit disertissimos quoscunq;, nobis verborum flumen suggerit. Tam multiplex hîc enim de tanto, tamq; longævo Rege dicendi materia suppetit, ut propè infanti vix sermo deesset. Neq; opus est minutissima quæq; dicendo persequi; sed strictim tantùm attingere & rem in pauca conferre. Audeo ego & intrepidè, & si quid in me judicii est, bonâ cum veritatis pace, Regem hunc nostrum, cujus lineamenta depingere exorsi sumus, cum primo principeq; populi divini Imperatore in haud paucis comparare. Quem is ita examussim alicubi refert, ut mireris, si advertas & oculos aciemq; intendas. Communis sanè iis ante omnia sors & locus est in nativitate. Quorum ille vitales auras hausit, cùm gens paterna captiva esset ac velut in carcere detenta, quem furno ferreo ipse alicubi confert: ac, quod omnes in stuporem conjicit, in profluente inter genistas, ubi expositus erat, non saltem conservatus, sed & in spem Regiæ dignitatis pòst educatus est. Ita uno exemplo, quod perpaucos ignorare credo, vitam hanc ingressus est Rex noster Gripsholmiæ ANNO MDLXVI. die XX Junii horâ IV. pomeridianâ: quum Johannes Finlandiæ Dux, SIGISMUNDI nostri parens unà cum familiâ & Catharinâ conjuge, ê stirpe Jagellonicâ prognatâ, quæ & Regis filia, Regisq; soror, Regisq; nostri mater fuit, ab Erico fratre in carcerem quadriennalẽ (intra quod tempus, tertio custodiæ anno natus SIGISMUNDUS) detrusus erat. Quod non inglorium est memorare, postquam ea, quæ supra recensuim⁹, de seipso ad omne ævum Moses scriptum reliquit: nostri verò Regis fatum jampridem publicis monumentis insertum est. Vt propè mirum non sit, ab asinis & ovibus à Summo Rege, *quem penes arbitrium est & vis & norma regendi* ad solium & sceptra priscè Reges vocatos esse. Intra custodiæ septa lucem primò adspexit SIGISMUNDUS: Moses in cistella ê viminib⁹ abjectus est: in præsepi vagiit Sũmi Regis filius & Regni cœlestis, terrestrisq; hæres, ac Judæorum & Gentium immortalis Imperator. O prodigia! Nec desunt alia haud contortæ comparationis argumenta. Quippe illicò se offert institutionis post ortum æqualitas. De Mose Martyrum Coryphæus recenset, quòd â primis annis in sapientiâ Ægyptiorum institutus fuerit, cujus rei aliundè quoq; notitiam habere licet. Similiter in SIGISMUNDO non neglectam fuisse exactæ informationis curam fidenter asseverare possumus. Nisi ratiocinatio aquileges fallit, qui credunt aquas subesse, ubi conspexerint vaporem manè attolli:

Thuan: lib: XXXIV. *& lib:* CXXXV.

Actor: VII

pari

pari ratione colligere licet ex fideli informatione & diligenti cuſtodiâ ſibi iſta morum, virtutum, ac linguarum Rege dignarum, quibus in omni vitâ conſpicuus fuit, SIGISMUNDUM comparâſſe. Præter vernaculam Suecicam, Latinam & indè natam Italicam, utpote quæ ſemper apud Polonos in ſummo pretio & uſu fuere, addidicit, quibus cum voluptate audientium ſingulari, decorè uſus eſt. Germanicam verò exactè calluit, cujº cognitionem Polonis ferè utilem eſſe prudenter innuit illuſtris vir Herburtus in SIGISMUNDO I. qui eam præ reliquis exactiùs comprehenderat. Polonicam maturè ita imbibit, ut in campo Cracovienſi novus advena ac hoſpes pronuper ad regni gubernacula electus, Laurentio Goslicio Epiſcopo Podoliæ viro prudentiſſimo atq; eruditiſſimo ſeſe oratione vernaculâ excipienti Polonicè aptè & confidenter reſponderit. Quod Polonis gratiſſimum quidem accidit, ut Regem foris petitum patriâ linguâ loquentem haberent. Cujus rei conſideratio in electione ejusdem, cùm Regno commendaretur, inſtituta fuit. Tanti ſunt hæc linguarum ornamenta, ut in Regibus quærendis & laudandis eorum ratio habeatur. Ab his ê veteribus innotuit poſteritati Mithridates, qui XXII gentibus ſuâ cuiq; linguâ, hoc eſt, ut ego interpretor, niſi me omnia fallunt dialecto peculiari jus dixit. E recentioribus in ore ſermoneq; omnium eſt Eliſabetha Angliæ Regina ſexum univerſum, atque multos Reges poſt ſe relinquens: quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè reſpondere audita eſt. Quâ in re, etſi omnium admiratione digna ſit, nulla neceſſitas fuiſſet SIGISMUNDO cedere, qui idem æquè præſtitiſſet, ſi linguæ numerandæ ſunt, non comparandæ. Levia tamen hæc ſunt, niſi alia eſſent, quæ in Rege noſtro contemplari & mirari ordo poſtulat. In ardore erga res ſacras viſus eſt multis Antiſtites vincere. Geometriam, hoc eſt, eam diſciplinam, cujus ſcientiam ab initiatis Academiæ ſuæ pertinaciter Plato exigebat, haud perfunctoriè attigerat. Ad modulationum ſuavitatem non aures tantùm teretes & perpurgatas afferebat: ſed & poterat Symbolam ſe dignam conferre. Cæli atque pictoriæ artis ſpecimina non tantùm judicare, verùm & exhibere valebat. Sed neq; reliquam

In Chronic: lib: XX. cap: I

Thuan: lib: LXXXVIII

Plin: lib: VII cap: XXIV

è Caſpar: Ens hiſtor: Belgicâ. Lanſ: in Oratio: pro Galliâ, p: CLXXXIII.

quam ſapientiam ignorabat, ut vel Plato Dictator viſo hoc Rege dixiſſet: Felicem eſſe Rempublicam, cui præeſſet SIGISMUNDUS noſter ſapientiâ haud leviter imbutus, quam ille prorſus in Regibus requirebat. Virtutes verò quales, quantæq; in illo fuerint, nunc exponere conabimur: ſi noſtra, aut ulla oratio iis exponendis par eſſe poteſt. Veluti enim quorundam ſcelera benè dicendi facultati non reſpondent: ita quædam in aliis egregia facta dictione explicari ſatis nequeunt, ſermoneq; & laude ſunt ſuperiora. Patientia, Patientia & animi moderatio inprimis eluxit in Rege noſtro, cujus ſplendor è SIGISMUNDI vitâ inſpectâ ſic præſtrinxit oculos meos, ut non usque adeò advertam ad reliqua virtutum ornamenta. Ceu cum Adamantem inſolitæ magnitudinis & lucis in coronâ aut veſte Regiâ intuemur, reliquas gemmulas vix penſi habemus. Atq; hic occurit nova SIGISMUNDI cum Moſe comparandi ratio. De hoc extat in ſacris commentariis, quod etſi undiq; vexatus, mitiſſimus tamen fuerit: & ut Joſephus eum depingit, quod affectus ſemper in poteſtate habuerit, ut omninò illis carere videretur, & nomina tantùm eorum ex his, quæ in aliis hominibus conſpiceret, cognita haberet. Nolim unquam mihi credi, niſi ejus virtutis ſimilia quædam exempla in SIGISMUNDO oſtendero. Immò fidem faciat aſſertioni meæ verbis ſuis Thuanus, qui an fide, an facundiâ majore, opus ſuum contexuerit, ignoro: quod quibuscunq; annalium conditoribus palmam ambiguam fecerit, haud mihi ambiguum eſt. Idem non obſcura, ê quibus mihi depingenda eſt Regis noſtri æquanimitas, aut magnanimitas, ut verius appellitanda eſt, æterno operi ſuo inſeruit. Nuncio accepto de Maximiliano competitore, qui nondum paci aut ſaluti Regni, quo exciderat, conſulere volebat, capto â Zamoſcio viro ſummâ dignitate, fortitudine, literis, ſtudio in Rempublicam, fide in noſtrum SIGISMUNDUM celebratiſſimo, quomodo ſe geſſerit, laudatum autorem audiamus. Tantæ victoriæ nuncio accepto SIGISMUNDUS eandem moderationem ſervavit, conſtantiam in vultu retinens, nullâq; lætitiæ geſtientis ſignificatione editâ ſtatim datis ad Zamoſcium literis, ne Maximilianum Cracoviam duceret, vetuit, ne potius in triumphum, quàm in cuſtodiam tantæ digna-

Moſ: XII lib: IV hiſtor: Judaic: cap: ult:

Thuan: lib: LXXXVIII

dignationis captivus duceretur. O insolens insolentiæ repressæ, immò ne leviter in animo Regio se exserentis, victo rivali & hoste, exemplum! Quid non crederemus, eum alteram sortem benè præparato pectore adversa tulisse: qui, quòd haud facile est, æquâ mente commoda passus est, & temperatâ ab insolentiâ lætitiâ. Videamus ê multis exemplum unum atq; alterum. Post confœderationem, quâ Rokosch vulgò appellari, notius est, quàm ut à me monendũ sit, haud infeliciter dispulsam Cracovienſi & Radzivilio, inter partes autorib⁹ principibus, non invitus manum porrexit, etsi aliquandiu altercatum fuerit. Ex eodem fonte facilitatis atq; tolerantiæ fluxit, quòd post nuperas turbas Clementissim⁹ noster, quasvis poti⁹ conditiones induciarum amplexus sit, & spem duraturæ ac solidæ pacis, in quâ vivere desiit, ingressus fuit, præ quàm quòd simultates illas nostro sanguine extingui voluerit. Efferant, qui volunt, alios ê Regio censu, qui bello ferroq; repulére quascunq; levissimas injurias: SIGISMUNDUS noster pertulit. Illi de aliis victoriam quandoq; reportârunt in caussâ non usq; adeò bonâ: hic de se, atq; animo suo; qui ut est humanus, hoc est, ad sequiora propendens, ultionis dulcedine gustandâ proritatur. Eam pravitatem Rex noster vel non sensit, vel non admisit. Itaq; meritò SIGISMUNDUM unâ literâ expirante SIGISMUTHUM vocare possemus: hoc est, Victorem animi, perturbationumque suarum. Ac, ut ferè tolerantes tuetur sub umbone suo Optimus Maximus, ne noxæ sit virtutis à se præscriptæ & exemplo suo commendatæ studium: ita Mosen inter tot turbas, seditiones, ac murmura, clementissima Divini Numinis benignitas protexit, præsertim cùm furor aliquando insanæ plebi lapides ministrasset, quibus tantùm non obruissent sanctum Dei servum. Similiter memoratu prorsus dignum est, nec ullâ vetustate oblitterandum, quod in recentissimâ hujus coronæ memoriâ erit, quid SIGISMUNDO ante non multos annos acciderit, vel potiùs, Deo propulsante, non acciderit. Erat dies XV. Novembris ANNI XX. hujus seculi, atra & funesta nobis proclamanda, nisi, eo anno Domino sacra fuisset, quæ & Regi mortem & nobis luctum maturâsset, nisi Jova stator Regum ab uncto suo periculum præsentissimum avertisset. Eâ die,

Thuan: lib: CXXXVI

Siegesmuth.

die, quod ei ferè singulis professis facere in more positum fuit, SIGISMUNDUS ad sacra se contulit, ut his peractis regni negotiis, bono cum DEO, vacare posset. Ac eo instituto suo utens, cùm vix pedem in ædem Johanni dicatam Varsaviæ intulisset, nefarius quidam, cujus nomen honestas & criminis indignitas vetaret exprimere, nisi cum infamiâ esset conservandum ad memoriam, Michael Piekarscius uncâ atque præpilatâ clavâ quã Czeckanũ vocant, à secando, ut colligo, Regem petit, ac plagæ, quâ faciẽ Regis strinxerat, ut sanguis stillans togam tingeret, aliam superaddit, (proh scelus, audaciamq;!) & Regis, qui jam prociderat, tergum denuò tangit. Quasiq; non satis fuisset scelus perpetrâsse, idem mentiendo auxit, ac pertinaciter in eâ sententiâ perduravit, non secus quâm rectè se, quanquam infelicius cesserit, ut ille quidem arbitrabatur, fecisse; quòd hoc negotii sibi commissum fuerit jampridem ab Angelo, â Divis Cœlitibus, & ab ipso crucifixi simulacro, quod credidit simplicioris plebeculæ opinione incautâ fascinatus indicare quædam. Taceo alios prætextus, quibus facinus colorobat, tanto sceleri excusando minùs idoneos. Tertiâsset ictum, nî Opalinius eum intercepisset, & Princeps VLADISLAUS gladio percusorem sauciâsset. In quo paulò antè alia quædam emicuerant Heroicæ indolis exempla: quum Severiam & Cernihoviam in Moschis, jussu exemploq; paterno subjugavit. Sed hæc studii monumenta in Regnum fuêre, de quo maturè præclarè mereri voluit: illud pietatis in Patrem fuit. Patere SerenissimePrinceps, ut obiter hîc te colam, postquam in tui mentionem incidimus. Etsi nihil hucusq; in Parente Tuo celebratum sit, quod non hæreditario jure ad Te pertineat. Chara ac ominosa Tibi videntur nomina esse: VLADISLAI alterum, apud gentem Polonicam à VLADISLAO Jagellonicæ prosapiæ satore celebratissimum: alterum SIGISMUNDI, quod quoties audimus, Chari Genitoris Tui & reliquorum SIGISMUNDORUM Patriæ Patrum subit animum memoria. Quid de Te non polliceamur nobis, cujus & omen ê nomine & specimen ê factis, & indolem ê stirpe æstimamus. Macte hoc animo & per vestigia majorum Tuorum decurre: ut generi, ita & magnitudini eorum succedas. Manibus Parentis quidem

gratulamur de Te, in quo vivit SIGISMUNDUS, Tibi de Parente, qui Te commendat nobis, ut & pietas ista in Parentem, in quam narrando delapsi sumus, ut famæ demus, boni ominis & spei de Tuis decoribus excitandæ caussâ: quæ tantò laudabilior est, quantò detestabilior fuit sicarii impietas. Is quas pœnas luerit, paucis adjicere operæ est pretium. Eodem mense die XXVII. omni honore exutus est, candentibus forcipibus pectus laniatum, sceleſtam manum ignitus malleus rostratus & prunæ torrentes absumpsêre, læva similiter deinde securiculâ à semivivo cadavere avulsa, corpus ab equis distortum & luxatum & humi volutatum, deniq; in ignis ultricem flammam conjectum fuit. Anima diris à populo devota. Dignus tanto parricidâ rigor. At tu, ô summe Deus, in cujus præsidio Reges latent, cohibe inposterum quocunq; tempore tam infanda ausa, ac averte alia ejus generis à cervicibus Regum Polonorum, quicunq; secuturi sunt venturis temporibus: ne ullum in gente hac Regicidii exemplum unquam extet, ut in quibusdam aliis, ubi vicarii tui sacrilego facinore vitâ Regnisq; non rarò miserè exuti sunt. Verùm ne illud quidem, AUDITORES, desiderare quis potest in SIGISMUNDO nostro, quod in Mose omnium laudibus celebratur: qui totis diebus populi causſas cognovit, quod & miratus est socer Jethro, & consilio subministrato eum ab istâ spontaneâ molestiâ avocavit. Scitis, scitis ipsi & plurimi fando audivêre, quam patientissimè toto Regni sui tempore aures suas difertissimis litigantium querelis Rex commodaverit, ac has aurium plagas perpessus sit. Quasi sibi dictum esse putasset â mulierculâ istâ pertinaciter occlamante: Aut audi me, aut noli Rex esse. Nunc sobrietatem & temperantiam, raram Principibus, aulisq; hodiè virtutem: nunc militares Regis nostri laudes decantarem: quæ tùm inprimis in sermone omnium fuêre, quum Valachos in tutelam accepit, Rosvanam Transsylvanorum Ducem exercitu exuit, paloq; suffigendum mandavit: cùm Smolensicum â Moscis ultra centum annos non bello, sed proditione Polonis ereptam obsidione bienni vastatam & attritam in potestatem suam redegit: ac alia sub auspicio ejus & fortunâ præclarè gesta sunt, nisi viderem me nimiùm provehi. Abreptus enim sum in mare

Exod. 18.

Petricius in Historiâ rerum in Poloniâ Anno XX. *gestarum.*

mare laudum SIGISMUNDIANARUM. Panegyrim tamen contexere non constitui; sed causſas luctus nostri, in quo nunc versamur, exponere. Ad vitæ Regiæ exitum, qui mœrorem istum nobis attulit, veniendum est. Vbi ne nunc quidem collationem cum Mose institutam pertexendi deest occasio. Tot annos SIGISMUNDUS non vixit, quot Moses centenarius, ac qui præterea viginti alias hyemes supra centum vidit, quot exactè annos unus exegit inter antecessores SIGISMUNDI Piastus ê humili casâ in aulæ lucem protractus. At quotusquisq; inter Reges, vel homines promiscuè cum cervis aut cornicibus tamdiu durat. Inter Reges Poloniæ nullus est, qui post Piastum Principem ejus gentis (nam eâ tempestate summa autoritas penes Principem erat) centesimum annum attigit. SIGISMUNDUS I. Avus nostri Divi octuagesimum paucis concesso leniore vitæ exitu absolvit. Noster Anno LXVI. postquam ante triduum ægritudinem paulò sensisset, ab attonito stupore concussus & catarrho oppletus, alias ferè vegetus firmusq; quod compertum est, denatus est. Cæterùm populi Hebræi princeps tantùm XL annos præfuit, noster Regnum gubernavit quinq; supra XL, cum Anno à Servatoris ortu M. D. LXXXVII. Dominicâ III. Adventus solemni ritu à Primate Regni coronâ insignitus est. Paucis raro DEI munere hæc est concessa felicitas, tamdiu honore summo fruendi. Et facilis esset computatio, quot turres Regum Christianorum, ut Ethnicos missos faciamus, mors interea pulsârit; infinita verò esset numeratio, ad quàm multas pauperum tabernas, juxta illud Venusini vatis, diverterit. Etiam oppidò pauci, nec totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili, ex antecessoribus Regis fuêre, qui in hunc censum venire possunt. Vnus CASIMIRUS Jagellonides examussim par est SIGISMUNDO: ipse generosæ & inclytæ stirpis autor Vladislaus Jagello superior, qui totis XLVIII. annis regni fasces tenuit, reliqui omnes inferiores, ut pariter David, Mosesq;, cum quo commisimus SIGISMUNDUM, pace tanti amici, serviq; Deo chariſſimi. Quare tandem, ut Mosi benè merito aclaudatissimo Principi justa fecit populus: ita Mosi gentis nostræ, quod hucusq; me eviciſſe mihi persuadeo, idem quicquid est honoris, cumulatissimè debemus.

Deuter: XXXIV.

Neugebau: in Icone & vitâ Piasti.

Jovius lib: VI. Elogior. in Sigismundo.

Quem

Quem nunc finiendo luctu mœremus quidem: at vice gratorum omnium ſpondeo, polliceorq́; fore, ut perpetuò nobis jucunda futura ſit memoria hujus chariſſimi Parentis noſtri. Qui ſanè id virtutibus ſuis effecit, ut SIGISMUNDI nomen pio maximèq́; grato animo admiraturi & veneraturi ſimus. Ejus hoc ad omnes, quotquot unquam hæc intelligent, ex ore noſtro ſit præconium.

SIGISMVNDVS III. Rex à Polonis electus, Suecis natus, pacis, patientiæ, prudentiæq́; artibus inclytus letho datus eſt ANNO CHRISTI M. DC. XXXII. pridiè Calendarum Aprilis: cùm vixiſſet annos LXVI. regnâſſet annos XLV. qui vix unquam turbavit Gedanenſes ſuos, niſi cùm mortuus eſt. Requieſcat in pace, & vivat, vigeatq́; immortalitate nominis & virtutum ſuarum.

Itaque vix eſt opus, mei AUDITORES, ut porrò usque adeò deploremus eum, inprimis rectâ lugendi ratione neglectâ. Noſtra fata atque mala, quæ nobis imminent in hac orbitate, hoc Sole amoto, potiùs lugeamus & metuamus. Indice digito iſta oſtenderem, niſi de iſtis lippi tonſoresq́; mutirent. Et expuendum eſſet ad malum omen, ex veterum ſententiâ, non ſermone exprimendum. Nemo tamen credat, nos tam abjecti animi eſſe, ut deſperemus & haſtam abjiciamus: ac Rege ad Cœlites migrante, de Regno conclamatum eſſe dicamus. Eſt Reſpublica Polona fortis atq́; ſolers, videbit quid ſit ê re ſuâ, noſtrâq́;. Sunt in eâ Proceres, penes quos ſumma Regis eligendi eſt autoritas, humanarum divinarumq́; rerum peritiſſimi. Saltem Deum oremus, ut in optima conſilia conſpirent. Cumprimis verò nos animat, quod certum ſit, Regem Supremum toti9 orbis moderatorem vivere ac ſupereſſe. Reliqui Reges moriuntur, aut, ad generum Cereris deſcendunt ſiccâ morte Tyranni. Quicquid alii argutentur, Reges Galliæ non mori, quòd naſcantur, non eligantur. Stat enim ſententia divina & lex mortalitatis immortalis. *Ego dico*, inquit Supremus Legislator, *Dii eſtis & filii excelſi: At certè ut plebejus homo morituri eſtis.* Ipſe verò permanet â ſeculis in ſecula, principio antiquior, fine poſterior, qui ſolus rebus omnibus principium atq́; finem largitur, cùm allubeſcit.

Ille

Ille vivit, inq́; ſenatum Deorum venit. Eum adibimus ſupplices, ut vigilet noſtrâ gratiâ. Romani Imperatores commiſſo ſibi bello, antequam ex urbe pedem efferrent, Martis ſacrarium ingreſſi ſunt: ac primò ancilia, tum haſtam ipſius ſimulacri concutientes inclamavêre: Mars vigila. Nos ſurdo nolumus narrare fabulam: nec nos Mars novit, videt, auditq́; ſed altâ voce exclamamus ad te, ô DEUS potentiſſime! Vigila DEUS! Vigila DEUS! oculi tui ſint inconniventes ſuper Regnum Sarmaticum & Vrbem noſtram. Tuum eſt ſceptrum, ac diadema Polonicum. Voca quem vis & utinam velis, qui nobis ſalutare ſidus ſit! Vocaſti SIGISMUNDUM, cùm ambirent hoc Regnum plures, ac nonnulli cenſerent Piaſtum, hoc eſt, Procerum aliquem virtutibus Regio faſtigio dignis egregiè inſtructum eligendum eſſe. Nunc â SIGISMUNDO repetiiſti faſces, ut alii eos offeras. Voca quemcunq́;, ut paſcat in Regno iſthoc feliciſſimo populum tuum, quem verè adipe tritici ſatias, ac mellis lactisq́; copiâ adobruis, ut veteri genti tuæ promiſſam terram incolenti hæc beneficia exhibuiſti. Adde cumulo tantorum in eum beneficiorum, ut Regem inveniat, qui tibi placeat, probeturq́;. Florentiſſimum eſt Regnum, nollemus ignavo, atq́; ad audendum pigro committi. Hoſtes iiq́; & numero maximi & viribus atq́; apparatu potentiſſimi imminent, nollemus timido ſceptrum tradi. Magna ſeges, eaque ferè flaveſcens ibi Judæorum & ignorantium veræ pietatis leges eſt, nollemus rerum divinarum incurioſo hunc honorem exhiberi. Libera Reſpublica eſt, nollemus libertatis proculcatori ſubjici. Salomonem habuimus, nollemus, ut poſt fata ſcinderetur Regnum ampliſſimum. Hæc ſunt vota precesque animi noſtri. Tu fac bone DEUS, ſumme, optime, maxime Regnorum arbiter, quod vis & quod facere ſoles, cùm Parens optima quæque in uſum liberorum efficis & dirigis. Applaudemus. DIXI. & veſtram in Regium Nomen obſervantiam, quam hac præſentiâ veſtrâ declaraſtis, laudo.

FINIS.

SIGISMUNDUS TERTIUS
POLONORVM ET SVECORVM REX.

Anagr.

IS PRIMVS RECTOR, NOVVS MOSES, LEGVM TVTOR, VINDEX.

In
PANEGYRICVM
funebrem
DN. MOCHINGERI.

Ereptum ſibi quem flent regna Polonica Regem,
Pruſſa flet ereptum quem ſibi terra Ducem:
Is fortis Legum tutor, vindexq; novusq;
Moſes, & primus Rector in Orbe fuit.

Hunc MOCHINGERÆ *æquaſſet facundia ſuadæ,*
Menſura immenſæ ſi foret ulla rei.
Illa quidem ſummum æquavit de Rege dolorem.
Summus at haud æquat publica damna dolor.
Qui queat hæc Pruſſis, queat hæc ſarcire Polonis,
Mox SIGISMUNDUM *det Deus, oro, novum.*

S. NÆRANVS.

P. A. N. BIBLIOTEKA GDAŃSKA

PLAUSUS

PLAVSVS
URBIS GEDANENSIS

SUPER
ELECTIONE
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS

VLADISLAI SIGISMVNDI

SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM HÆREDITARII
REGIS. &c.
Domini noſtri Clementiſſimi

AD
FASCES REGNI POLONIÆ

DESCRIPTUS
ORATIONE
habitâ
in frequentiſſimâ panegyri
die II. Decembris horâ X matutinâ
in Lyceo Gedanenſi

â

JOHANNE MOCHINGERO GEDANENSI
Concionatore ædis Catharineæ & Rhetore
Gymnaſii.

DANTISCI,
Sumptibus & Typis GEORGII RHETII, Reip: & Gym: Typogr:

ANNO MDCXXXIII.

BIBLIOTEKA GDAŃSKA

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI

VLADISLAO SIGISMUNDO

POLONIÆ ET SVECIÆ REGI,
MAGNO DVCI LITHVANIÆ, RVSSIÆ,
PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ,
&c. &c.

FELICITATEM ET DIVTVRNITATEM VITÆ ET REGNI.

SERE-

SERENISSIME ET POTENTISSIME

REX.

LIceat mihi per gratioſisſimam Tuam clementiam, Tibi, Polonicâ coronâ redimiendo acclamare cum populo: *Feliciter!* In quo ſi pecco, cum tantâ multitudine, pièq; pecco. Teneo enim religioſam gentium omnium conſvetudinem, quæ Regibus novis ſemper ſunt acclamare ſolitæ. Si nondum SERENISSIME DOMINE clamor civitatis noſtræ applaudentis Tibi auditus eſt, nec innotuere preces fratrum DEO conſecratorum ardentisſimè & copioſisſimè pro Te fuſæ: ego velut ſilentio facto, poſt omnes prodeo, & exclamo, quantum posſum, voce elatâ: VLADISLAO SIGISMUNDO *felicitatem!* Hoc argumentum eſt hujus orationis, quam ſupplex non minus adorans Comitatem Tuam, quàm reveritus Majeſtatem, quorum ornamentorum nexus, ut rarior eò pulchrior eſt in Regibus, exhibeo. Confido fore, ut probetur Tuæ Majeſtati pietas mea, vel univerſæ potius civitatis Tibi deditisſimæ & fidelisſimæ. Ex cujus ingenio, poſtquam tantos vidi audiviq; Optimatum & univerſæ plebis applauſus, hæc dixi. Quod eximium beneficium gratiæ & favoris Tui, nova nobis erit lætitiæ & gratulationum materia.

MAJESTATI TVÆ

devotisſimus

Johannes Mochinger.

INVITATIO AVDITORVM.

SVperesse videtur, LECTORES, post tot argumenta publici gaudij super electione Domini nostri Clementissimi, ut Musæ quoq; loquantur in ludo nostro, veluti in domicilio suo, atq; theatro honestissimæ gloriæ, ubi coronam florum lectissimorum præsentem habent, Regiq; novo Vniversæ Vrbis nomine applaudant. Atq; ego sanè, si inter vates mihi locus obtigisset, exemplo Poëtarum principis in magno quodam instituto canentis, Sicelides Musas Helicone evocarem: ut & qualis, quantaq; fuerit super hoc argumento lætitia nostra exprimerent, simulq; quam benè de VLADISLAO SIGISMVNDO ominarentur, ipsæ edisserent, Verùm isthac de re viderint laurigeri. Ego non admordi laurum. Quemadmodum fingunt Musas Hesiodo dedisse laurum gustandam, ut eam mandens vates fieret. Nec, ut alius ex eâdem familiâ, isq; nec postremus præfatur

> -- fonte labra prolui caballino,
> nec in bicipiti somniasse Parnasso
> memini, ut repentè sic Poëta prodirem.
> Heliconidasq;, pallidamq; Pyrenen
> illis relinquo, quorum imagines lambunt
> hederæ sequaces ---

Ad sacra vatum orationem affero nostram. Quamvis enim non ignarus sim meæ tenuitatis, neq; ullis fortè, aut vix mediocribus eloquentiæ præsidijs instructum me sentiam, ut tantarum congratulationum ardorem & concertationes referre valeam: visum tamen est potiùs meam infantiam prodere, quàm intempestivius silere. Audimus enim quosvis in circulis Regi novo felicia apprecari. Turpe foret quasi datâ operâ velle elinguem esse. In tantis omnium acclamationibus, ac post tot celeusmata, facilè erit interstrepere. Non secus ac valde proclive est, vel inexercitato in arte canendi inter multorum concentus sonum conari & vocis suæ periculum facere. Adde, quod affectu me adjutum iri in re tantâ confidam: ceu Atyn Cræsi filium in vocem erupisse legimus, exclamantem, ne pater occideretur, qui ad id usq; temporis mutus fuisse perhibetur. Quid lætitia & hilaritas animo concepta non efficiat? quæ repagulis omnibus remotis homini etiam infanti propè verba excutit. Scilicet, ut Fabius scitè ait: Pectus disertos facit. *Neq; non alienum videri posset, prolixè fatum Regis amissi deplorasse; at novo in locum ejus suffecto, eoq; optimi Parentis optimo filio, ac penè eodem,* SIGISMUNDO *redivivo, intra silentij limites se continere, nec verbum facere. Vtriq; verò non vivis minùs ac fato functis Regibus persolvenda sunt honorificarum recordationum tributa. Quapropter, quod felix fortunatumq; sit, die proximâ Jovis hora X super hac re copiosius dicturus sum è cathedrâ Lycei nostri. Argumentum Orationis pium potiùs erit, quàm novum vel audax aut mirabile, quod alicui in mentem facilè non venisset. Eòq; non nisi hortator ero ad grates beneficentiæ divinæ persolvendas, hoc electionis nomine. Præibo postremò precibus, ut denuò ardentissimè voveamus, quò firmum, faustum, salutare atq; diuturnum Imperium* VLADISLAI *sit. Subintexam plausus nostri descriptionem, ejusq; rationes. Sed auribus delicatis lenocinari mihi non est animus, neq; summoperè accurabo, ut niteat dictio nostra, veluti littus Erythræum gemmis & unionibus refulget. Satis erit mihi, si ipse cœlesti ardore inflammatus, scintillas in concionem spargam, ut animi nostri succendantur ad thus gratiarum DEO debitum adolendum & suffiendum. Panegyricas Regis laudationes alij meditentur, qui ut Gregorius disertissimus Nazianzi Pontifex inquit,* tubas Tyrrhenicas oratione superare possunt. *Nos, ut meretur,* VLADISLAVM *alicubi elogiis nostris prosequemur; sed ita, ut præsertim in laudando Rege Regum, quem ipsi Reges nobiscum colere necesse habent, nostra sudet oratio. Neq; videri debet hoc à sacro Mystâ alienum esse, quod ad omnes, qui CHristo nomen dederunt, attinet, ut Apostolus præscripsit, cùm ait.*

> Adhortor itaq; & præcipio, ante omnia, ut pro Regibus & quibusvis in eminentiâ constitutis omnia precum atq; gratiarum genera instituantur. Idq; in eum finem, ut avertatur, quod impedit tranquillitatem, & semper sit locus pietati atq; honestati, sub regno pacato & quieto. Hoc enim bonum est & acceptum DEO servatori nostro. Hucusq; præco divinus.

Taceo, quòd omnium nostrûm interfit illa exorare apud DEum. Quare adeste, quæso, & animos non secus ac aures purgatas adferte. Rempublicam Regi commendabimus: sed & hunc atq; istam DEO. Pietas vestra amorque novi Regis, deniq; studium vestrum in colendis in universum Poloniæ Regibus, quod multis observantiæ & fidelitatis argumentis declaratum dedistis, confidere me facit, daturos vos locum petitioni meæ atq; comparituros, ut urgere vos non videatur necesse esse. Valete sub Rege novo felices. Scripsi ANNO ânato Christo Rege Vniversi 1632. *VLADISLAI SIGISMVNDI primo, pridiè Dominicam Servatoris Solymam regio apparatu intrantis.*

ORATIO.

Magnifici & Nobiliſsimi Domini PræConſules, Scholarchæ Senatores, Prudentiſsimi Scabini, Patres Patriæ obſervandi, Reverendi Eccleſiarum Antiſtites, Fratres ſincerè dilecti, Eximii Doctores & Magiſtri, cives elegantiſsimi, juvenes cultiſsimi, concio univerſa florentiſsima, flos civitatis & corona lectiſsima.

QVod ex hoc loco ſupplici voce apud immortalem DEUM, eumq; ſupremum hujus univerſitatis Imperatorem efflagitavimus: ut poſt tenebras, quas ſenſimus SIGISMUNDO occidente, novum atq; ſalutare aliquod ſidus illuſceret, cujus ortus, quaſi novi Solis, lucem caliganti Vrbi redderet, & publici mœroris inviſam tempeſtatem ſubitâ ſerenitate diſcuteret, impetravimus. Impetravimus inquam cœli munere, quodq; cumprimis ſermonibus atq; prædicatione omnium celebrandum eſt, concordibus Senatus & inclytæ Nobilitatis Polonicæ Vrbi concorporis ſuffragiis Regem ac Dominum Clementiſſimum VLADISLAUM SIGISMUNDUM, hæredem faſtigii & virtutum paternarum, adde, quod certâ animi fiduciâ credimus, patrii affectus in nos nunquam non propenſiſſimi æmulum. Quantus ex obitu parentis conceptus fuit dolor, quem haud ita pridem teſtati ſumus è cathedrâ hac atratâ: tantum nunc eſt ex imperii in filium derivati auſpiciis commune gaudium. Nam quod in Patre nos amiſiſſe planximus: hoc in filio nos recuperaſſe bonâ ſpe & expectatione recreamur. Eam in animis noſtris obnatam hilaritatem, quum per multis argumentis publicè declaratam dederimus: hac voce quoq; intra præſentes ſacrati hujus Muſarum delubri parietes explicabimus. Teſtabuntur illi ſecuturis ſeculis, teſtabitur hoc ſolium, quo applauſu, quanto cultu, quantâq; veneratione VLADISLAUM SIGISMUNDUM exceperimus: ante quem nulli Regum ex hoc loco forſitan acclamatum fuit. Quum enim in circulis quivis è fæce Regi Novo apicem humanæ dignitatis gratuletur: laudem omninò pari jure merebitur pietas noſtra, ſi ei in hac lectiſsimâ coronâ felicitatem, ut breviter complectar, noſtrorum deſideriorum ſummam, quâ turgemus, geſtientis lætitiæ quaſi grandem uterum ferentes, apprecemur. Eo nomine neceſſum etiam erit, ſalutem ejusdem, in quâ ſalus noſtra quoq; comprehenſa eſt, omnipotenti Regi commendare.

Quapropter, ut hinc velut auſpicatò exordiamur, Tibi Rex Regum ſempiterne prolixas & ex intimo corde manantes perſolvimus gratias, habituri easdem, cum omni conſequentis ævi memoriâ, quòd preces noſtras ratas apud clementiam tuam eſſe volueris. Acerbum vulnus inflixeras nobis, exemto rebus noſtris Regniq; Vniverſi vel afflictis, vel multis diſcriminibus circumvallatis SIGISMUNDO Rege Patreq; noſtro providentiſsimo: tutemet ipſe verò paulò pòſt medicas manus adhibuiſti & dictamnum digito oſtendens VLADISLAUM SIGISMUNDUM nobis præfeciſti. Quam tuam in nos benevolentiam, ſi breviùs & aridiùs pro noſtrâ ſermonis paupertate deſcribimus panegyriſta tuus ſceptro lyrâq; probatus de ſuo locuplete penu verba nobis largietur, quibus te admodum capi ſcimus: Sanaſti plagas noſtras: liberaſti â foveâ vitam noſtram: circumtegis nos benignitate & miſerationibus: renovaſti aquilam Polonicam, ut juveneſcere omnibus videatur, & virentem juventam induiſſe. Miſericors, & gratioſus es Domine, & multus in miſericordiâ. Non in æternum litigabis, aut perennis erit ardor iræ tuæ in nos, nec culpis noſtris æquus pœnarum numerus aut modus: emicabit clementia tua & ex indulgentiâ ſcelerum noſtrorum lauream petet. Quæ ita in oculos omnium incurret, ut hoc cœlum, hoc dium. Ceu patri ſatis erit leve ſupplicium noſtrum; immò ceu benevolo parenti volupe erit non offenſas tantùm noſtras nobis remittere: ſed & nos novis indies beneficiis è cenſu & patrimonio tuo opulentiſsimo adobruere. Tuum hoc eſt in univerſas ſub cœli ambitu gentes beneficium, vulgare quidem, ut plebejæ mentes fortè cogitant, at magnificum prorſus, nec unquam pro dignitate â noſtrâ infantiâ deprædicandum: quòd ſingulis ſuos Magiſtratus autoritate pollentes ordines, quibus nil minùs quàm terra Sole carere poſſent. Edifferant nobis ſi qui ſunt, quos impietas ita

Ex Pſal. CIII.

tas ita occœcavit, ut inficientur Numen tuum: quî fiat, ut barbarisſimi quiq; & ipſâ barbariâ ferociores ſuæ ſortis homines, quos ſaltem vulgo exemtos dignitate muniviſti, tantopere exoſculentur & colant, paratisſimi quoq; vel fortunas, vel ſanguinem, vel quicquid eſt carum pro iis prodigere. Vnde illud quidem mentibus noſtris inſedit, mortalibus quibuscunq; in orbe univerſo timorem Majeſtatis tuæ eſſe ingenitum: ſimiliter, ut ſplendorem, ſapientiam atq; potentiam tuam loquitur lex Solis ab orbitâ nunquam exerrantis, Lunæq; ac cæterorum ſiderum ordo, totiusq; naturæ ingenium. Hæc tamen quaſi coronis eſt hujus tui beneficii, in quâ inprimis extollendâ noſtra nunc ſudat oratio, quâ nonniſi charos atq; familiares tibi populos ornas, quibus eos Reges adſignas, quos ipſe cordium ſcrutator unicus exploraſti & quales in rebus gerendis ſint futuri, prævidiſti. Ex eo cenſu ſummæ rerum apud Hebræorum gentem Sponſæ adinſtar tibi adamatam præfeciſti virum, quem ais amatorio ſermone, ſecundùm cor tuum fuiſſe, hoc eſt lectisſimum & ad animi tui ſententiam conformatum, nec niſi unum è multis. Quem filius Salomo ferè retulit, ſapientiæ laude præſtantior; in quibusdam tamen patre paulò inferior. Ad quos ſi acceſſerit, quem noſtris neceſsitatibus largitus es, qui iſtum pietate atq; fortitudine bellicâ, hunc pacis & prudentiæ ſtudio exprimat: ut â te votis quidem omnibus contendere auſi ſumus, nec non nactos nos eſſe arbitramur, novum hoc tui in nos amoris, præter ſexcenta alia, pignus erit. Sunt enim innumera tua in nos benefacta, etſi hoc in cenſum non veniſſet, quæ junctim atq; catervatim in mentem nunc veniunt; cùm tamen unicum iſtud meditari fuerit animus & oratione efferendum ſumere. Sive, quod quidam inſtinctus tuus nos de ardentiori gratiarum actione hortetur: ſive, ut oppidò opportunè admoneamur, quasvis cogitationes noſtras longè eſſe inferiores comprehendendis beneficiis tuis, cùm numero pluribus, tum magnitudine admirabilibus. Itaq; nobis in eorum penſiculatione accuratiùs hærentibus uſu ferè idem venit, quod iis hominibus, qui illuſtri & claro die aciem oculorum in ſolem intendunt. Nam illi quidem igneo ſplendore circumfuſi, vident atq; confitentur eſſe immenſam & clariſsimam lucem illiùs ſideris, quod eſt princeps omnium reliquorum, &, ut tuæ vocant literæ, vas admirabile: ſed quanta ſit ejus magnitudo atq; ſpecies hebeſcentibus nimiâ claritate luminibus, neq; vident, neq; ſentiunt. Similiter & nos, quum animo atq; memoriâ intuemur mirifica tua & multis ſeminibus effloreſcentia beneficia magnitudine & multitudine eorum obruimur. Si apud quenquam inobſcurata eſt oblivio tuæ de nobis providentiæ in bello nupero atq; induciis ſequutis, quibus reſpirationi noſtræ conſulere voluiſti; certè in animo noſtro perpetuâ commemoratione hæret. Jam pertæſi eramus calamitatum accipiendarum & reddendarum, quibus tu metam ipſe unus pro voto poſuiſti. Hoſtem potentisſimum & qui fortunam ſecum vehere videbatur, ut aliorſum victricia arma circumferret, quaſi manu injectâ, abduxiſti. Regis SIGISMUNDI inuſitatam in nos benevolentiam nutu tuo, cui parere ipſi Reges neceſſe habent, flexiſti, ut miſertus onerum noſtrorum (quæ enim cauſſa magis eum inflammaſſet, quàm Prusiæ & civitatis hujus, ſibi maximè charæ ſub onere laborantis anxietas,) in induciarum leges conſenſerit, ac paratisſimum animum ad æternam pacem, re rectè legitimèq; compoſitâ, habuerit. Magna multaq; hæc ſanè ſunt, quum ea apud animum meum penſiculo: verùm quantò magis ea penſito, tantò penitius pernoſco, ea & orationem atq; meditationem meam abſorbere. Satis erit tamen tibi, ſat ſcio, tanto Evergetæ, ut omnia ſecula loquuntur, nos agnoviſſe iſta. Nunc poſtquam SIGISMUNDUS mortalitatis legem explevit, VLADISLAO hæredi patriarum virtutum ſalutes noſtras commendaſti. Quaſi nos notiſsimo hoc indicio ſecuros eſſe velle juberes, fore, ut non amiſiſſe nos SIGISMUNDUM ſenſuri ſimus, quem in filio VLADISLAO SIGISMUNDO, tanquam Patrem redivivum Vrbis habebimus. Teſtatur enim experientia vulgare & populo commendatisſimum argumentum parentum te mores in ſobole mirabili atq; occulto artificio ingenerare. Quocirca, quantumcunq; poſſumus, plaudimus & applaudimus tibi: ſignaq; haud obſcura lætitiæ liquidæ damus. Præſtinguit quidem oculos noſtros lumen vultus tui; verùm agnoſcimus tamen tuam de nobis propitiam curam, quæ vicit omnium expectationem

Actor: XIII. *v.* XXII.

Sirac. XLIII. *v.* II.

tionem & caſtigavit meticuloſas quascunq; ſuſpiciones. Solent interregna ferè Rempublicam variis caſibus affligere: & ut nox nihil moderabile ſuadet: ita in interregnorum tenebris, Rege quaſi Sole amoto, ut quisq; eſt audacisſimus, ita graviora quoq; non veretur patrare flagitia. Nihil tale, quod ſera cogitabit poſteritas, nunc vidit Polonia, quieta omnia, tranquilla omnia, quaſi in Regis oculis. Compeſcuit quosvis laudabilis & in exemplum poſitus Procerum rigor, vel Regis futuri VLADISLAI præſentia, vel quod malumus credere & celebrare tua, quæ mentibus quòcunq; flectendis imperat, reverentia. Quem nî fateamur hoc nomine colendum eſſe, hymnisq; quibuscunq; celebrandum, ac quibuslibet honoris ſignificationibus proſequendum ingratisſimi mortalium ſimus.

Verùm, velut ab arâ me verto ad vos, AUDITORES: atq; ad eos quicunq; ſolemnia hæc noſtra audituri ſunt, meam converto orationem. Nemo, inquam, miretur nobis tam illuſtrem nunc eſſe natam feſtivitatis ſuper electione VLADISLAI materiam. Nam omni ſeculorum memoriâ nationibus quibuscunq; celebratum fuit, Reges novos ſplendido pomparum apparatu & inſolito acclamationum honore veluti exorientia ſidera excipere. Quid enim aliud ſibi voluit apud Judæos læta atq; clamoſa iſta præeuntibus tubicinibus omnia fragore replentibus, & univerſo populo vel millies inclamante, Vivat, Vivat Rex, electi Regis deductio: quem nonniſi boni ominis & ſpei de firmâ ac felici adminiſtratione conceptæ cauſſâ ad rivos vel fontium ſcaturigines perungebant. Apud quos recentioribus ſeculis receptum fuit, Regibus adventantibus vel ramis vel veſtibus viam ſternere, ac quicquid vel ipſi Reges juſſerant, vel plebi in mentem venerat, in eorum honorem ejusq; amplisſimam declarationem præſtare. Quod vel ex unicâ hiſtoriâ Servatoris noſtri Optimi Maximi Regis Solymam magnâ ſolemnitate intrantis pareret. De eoq; more antiquisſima ac fide dignisſima monumenta eorum nos docent, cum interpretatione ejusdem arcanâ. Verùm is hodiè ferè communis eſt univerſis gentibus, niſi quòd hac tempeſtate Reges Chriſtiani primò & ante omnia oleo delibuti in divinis Baſilicis populo ſiſtantur. Acclama

I. *Reg.* I. *v.* XXXIII.

Schickard: in Miſchpat Hammelech. cap. I. *theor.* IV. *p.* XXVI.

Matt. XXI.

clamationes verò ſunt quibusvis eædem vel ſenſu vel verbis. Qui quidem ritus omnes & magnarum rerum ſimulacra in ſe continent, & inprimis gaudii è re nati teſtificationem exhibent. Quò ſpectat quoq; in inaugurationibus Imperatorum Romanorum, ac Regum quorundam bovis Trojani aſſatura, vini è fonticulo uberrimè fluentis liberalitas, aureorum atq; argenteorum nummorum in vulgus diſperſio, & quædam alia, quibus ad lætitiam plauſumq; multitudo, velut purpurâ elephanti, incenduntur. Neq; absq; exemplo ſunt nobis uſurpatæ lætitiæ ſignificationes, cùm campanæ perſtrepuere, tormenta boarunt, miſſilia in aërem affabrè exſurgentia & miros orbes exprimentia incenſa fuere, ignes excitati & quodcunq; clamori & gaudio datum fuit reliquum. Nempe quum lætitia iſta animo concepta exultantium clamore non ſatis exprimi videretur: juſſæ ſunt campanæ & horrentia fiſtularum ferrearum ora gaudia noſtra ebuccinare. Pariter ut ignes accenſi ſtudia noſtra & mirificum in Regem novum ardorem apertisſimè demonſtrare debuerunt. Atq; ut nihil incultum in oculos Regios venire debet: ita quicquid pro Rege ornando inſtitutum eſt: artem oſtentare & induſtriâ commendatum eſſe debuit. Vide mihi, ſi lubet, coronas regias, ut non temerè ex auro & unionibus conflatæ ſunt; ſed novo atq; inſolito artificio diſtinctæ, & ſummâ lapidū omnium varietate compoſitè adglutinatæ. Itemq; trabea atq; paludamentum non obiter picta ſunt; ſed exquiſito opificio, ut ſolent eſſe Phrygio aut Babylonico opere confectæ texturæ, clara & variegata. Taceo reliqua, quæ cum naturâ certant. Ita temerarium fuiſſet ſaltem inordinatis ſtruibus ſuccenſis Regis honorem declarare, quod populo tamen ob effuſam lætitiam indulgeri ſolet, Senatus Amplisſimus artificioſè confectas è pulvere pyrio machinas in fumum atq; cineres redigi curavit. Si quicquam prætermisſū videatur, quod tantæ lætitiæ magnitudo popoſcit, aut ad tam jucundisſimam hilaritatem declarandam pertinere judicetur, id vel ignoraſſe nos, vel in aliud tempus reſervaſſe credendum eſt. Picas Pſittacosq; Regem novum ſalutantes, quod vetus Roma mirata eſt, non introduximus. Quod id apud ſanos in admirationem venire non potuiſſet, cùm ut Poeta haud inelegans eleganter dixit.

Perſius in prologo.

Expedivit Pſittaco ſuum χαιρε
Picasq; docuit noſtra verba conari
Magiſter artis ingeniiq; largitor
Venter - - - - -

Aut ſi id cuiquam mirum videretur, inſanus eſſet, ſi crederet eſse ſerium, hoc eſt, â ratione & conſilio colendi profectum. Quin ergò nosmetipſi potius ex intimâ animi mente exclamavimus. Salve, aveq; lumen noſtrum VLADISLAE SIGISMUNDE. Quemadmodum enim priſcos lumen ſerò in ſacra vel in convivium illatum excitare ſolebat; ut vel χαῖρε φῶς ſalve lux dicerent, vel Vincamus exclamarent: quidni intuentes VLADISLAUM Regio ſplendore radiantem ita ſalvere eum juſſiſſemus? In divinis certè paginis Magiſtratus lucernæ vocantur: â Lycei verò principe lumina obeliſcis altè impoſita. Quin opportunum videbatur remotiſſimorum Thulenſium conſuetudinem imitari, apud quos, ut hiſtoriarũ annales produnt, continua eſt annis ſingulis, quadraginta omnino dierum caligo, nullis intermicantib9 radiis, & ſole quaſi ſub terrâ ſepulto. Cives autem poſt diuturni temporis moleſtiam lectos viros in montium cacumina mittere ſolent, ut ſideris benefici primam lucem claritatemq; de longè promicantem conſpicantes, ad ſe referant, revertanturq;. Illi igitur ſummis è verticib9 orientem ſolem excipientes & ſuavisſimâ voluptate completi redeuntes in urbem, quaſi prodromi clariſſimi luminis, omnium civium plauſu excipiuntur. Ita, neq; enim ignota loquar, omnes hactenus anxiè hoc deſiderium tenuit audiendi nova de electo Rege (& eum VLADISLAUM futurum omnium ſermo loquebatur): de quibus quum nuncius advolaſſet ad aures noſtras, gratulationes populi haud infrequentes, plauſusq; haud frigidi fuerunt. Cujus ea vox communis audiebatur, profectò eodẽ affectu atq; ſenſu: Salve, ſalve, poſt tenebras iſtas interregni diſpulſas, Lux Lumenq; noſtrum VLADISLAE SIGISMUNDE. Adhæc neſcire neminem quoq; volumus, præter morem tralatitium, & aliis argumentis nos eſſe impulſos ad hanc ſolemnitatem. Quæ ne lateant, ſummâ vocis contentione proclamare audemus: Optima quæcunque ac tanto applauſu digna nos ſperare & polliceri nobis de VLADISLAO. Firmat animum noſtrum electio

vide Creſoll: in myſtago: lib: I. cap. V.

II. *Samuel:* XXI. ℣. XVII.

Ariſtotel: lib: IV. Polit: cap: XV.

è Procop: Creſoll: in Myſta: lib: I. cap: XIII. *Sect:* II.

tot Pro-

totProcerum ac numeroſæ Nobilitatis, denique noſtra ipſa eo in loco, quem fidelitate noſtrâ, Regum autoritate & Primorum applauſu tantùm non ante duo ſecula obtinuimus. Quicquid aliis, iisque nec indoctis nec imperitis videatur, ſucceſſionem electioni Regum eſse anteponendam: (cuj9 litis contentioſâ exagitatione nunc nõ lubet interturbare ſerenitatem Lætitiæ noſtræ,) meo judicio, electio magnam autoritatem electo conciliat, eundemque ſubditis mirum in modum commendat: ne dicam, quòd unâ eâdemq; operâ ſpem fiduciamq; in eorum animis incendat. Succedunt quicunque, ſaltem qui Regio ſanguine prognatiſunt; at deliguntur, ſi res ſit noſtræ optionis, ut in noſtrâ electione eſt, nonniſi virtute condecorati. Ibi fortunæ ludibrium in infantem quandoque, in puerum, in imbecillis animi hominem ſummam rerum transfert: quâ luctuoſâ ſucceſsione nihil acerbius. Quod ſi enim gubernatori navis, utcunque præſtanti, filium rudem in ſucceſsionem non ſufficimus, ne quos ille ſervavit, iſte evertat: nec philoſophiæ ſcholam proximus, extincto præceptore, ſed ſapientiâ ſimillim9 excipit: Cur regnandi unam artem præceptorum pleniſſimam & ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris trademus? qui ſi hæreditatis jure habent, ut regnent: ſubditis eodem jure, ut pereant, relictum eſt. Haud difficile foret, quæ dicta ſunt exemplis munire, ſed quum obvia ſint, quid opus eſt vulgatiſima memorare. Contrà, ſuffragiis eligentiũ vix alius renuntiatur, niſi qui judicetur, quoad humanit9 perſpici poteſt, idoneus ad fræna capeſsenda: nec niſi vir, isque animo virili præditus, Regiisque ornamentis inſtructus. Si mutari mores electorum quis oggerat: ut Saulis, Neronis & Galbæ exempla teſtantur: audiet homines ab hominibus eligi, quos fallere fallique ab humanitate non eſt alienum. At nec ij, qui ſuccedunt, ſpei conceptæ ſemper ſatisfaciunt, aut perpetim anteceſsorum veſtigiis inſiſtunt: quos, cùm ſceptra eorundem arripuere, haud rarò virtutum incurioſos deprehendes, propter quas majores ad faſces evecti. Neq; juvandi ſunt calculo, qui ajunt litigioſas eſse ferè elections: quas ut fateamur ita eſse non ſemel, audiemus tamen, quid dicturi ſint ad eam, qualis fuit noſtra VLADISLAI. Qui omnium quidem voluntate & voto ita in parentis locum ſubvectus eſt;

vide Schuzsiũ in CHron. Prus: p. CCI. *b*

Barclaj: in Argenid p: CIV.

ut contradicentem habuerit neminem, quasi cœlesti oraculo, citra ullius invidiam, applausu verò omnium. Videri potuit VLADISLAUS ad fastigium hoc natus esse. Nam nec in Poloniâ temerè disceditur â stirpe masculâ, si qua extat; sed eligi potiùs debuit, jure moreq; nostro, ut tot haberet testimonia, sibi Regnum ob virtutes deberi, quot habuit suffragia. Virtutis munus esse debuit corona, non fortunæ. Quo honore, quâ gloriâ præclarior seu præstabilior ulla cogitari nequit. Certè Regiâ dignitate majus est, tantæ dignationis solio ab omnibus dignum censeri. Quum multi sint, qui aliorum virtutibus Regnum partum debeant, non suis meritis. Juventam sanè suam & eam, quam ingressus est virilem ætatem ita instituit VLADISLAUS, ut speciminibus egregiis undiq; exhibitis oculos omnium in se rapuerit: quem nemo non Patri, si quid ei humanitus accidisset, surrogandum esse diceret. Adeò velut facilè fuit Apollonio Tyaneo (quem stultè gentilitas credidit numen habere) dicere veluti ex oraculo, cùm Vespasianum audiret summo mane dare operam negotiis, eaq; studiosissimè conficere, Vir iste imperabit: ita huic comparandos omnes istos divinatores autumo, qui nunc in digitos pedum se surrigunt, quod maturè prædixerint, VLADISLAUM Regem nos habituros, quem viderunt ista agitare animo, quibus suam Regno probaret industriam. Prudentium atq; sapientium hominum celeris est divinatio, inquit alicubi Peripateticorum Coryphæus. Vates tamen hos dicamus ex veteri apud Græcos jactato versiculo: quod optimè conjecerint. Severiam certè & Cernihoviam Balearidum more partas occupavit. Quorum ea laus circumfertur insignis, quod nemo inter eos, quum pueri essent, alio cibo usus sit, nisi quem perticæ illigatum fundâ dejecisset: ita jussus erat VLADISLAUS â Parente Severiæ & Cernihoviæ ducatus Marte proprio acquirere, quos cùm subjugasset, Ducatuum Severiensium & Cernihoviensium Administrator laudabiliter hucusq; audiit. Observata sunt hæc VLADISLAI ornamenta non domi tantùm, sed & foris: ut & Imperator & Pontifex alium nullum SIGISMUNDO sufficiendum commendarint, quàm hunc ipsum. Quod uterq; & per literas & per Oratores suos copiosè & prolixè accurarunt. Præcipientes istũ in modum optimè se Regni saluti pro more amoreq; consulere. Quorum elogia si jungas nostris suffragiis, ita VLADISLAUM exornant, ut nulla corona, nec purpura, nec sceptrum Regem ullum decorare possit. Sed quoniam hæc publicè nota sunt, frustra in iis percensendis diutius immorarer.

Neugebauer in Histor: Polon: lib. 1. p. XIX.

lib: moral: Eudem: VII.

Eras: in adag: p. CCCCLI.

Alexan: ab Alexandr: lib: II. *cap.* XXV.

Aliud argumentum applaudendi VLADISLAO ex ipsâ re nobis occurrit. Adde enim, quod caput rei est, in electionibus locum esse divinæ virgulæ, cujus tam insignis in successionibus significatio non est, tum vel novâ hac ratione electio cum successione certare de dignitate potest. Fit enim in hac, ut Regnum capessat, quisquis editus est atavis avis aut parentibus Regibus, quod fortuitum esse, nec ultrà æstimari scribit gravissimus autor Tacitus: non item in illâ, ubi virtutis potior, quam sanguinis habetur ratio. Illîc quoq; quod magè mireris, & rerum summarum potestas in fœminas cadit, de quibus ingeniosè tamen juxtim ac verè nonnemo.

lib. 1. histor.

Lansius apud Schickar: in mischpat hammelech.

Apta quidem telæ est, sed inepta est fœmina telo
Indignumq; viris subdere colla colo.

Etsi quidam non impatientes sint hujus jugi, apud quos exemplum est felicis & præclaræ administrationis muliebris. Quibus tamen vel interruptam Regiæ prolis masculæ seriem precamur, vel rebus ita exigentib° viras viraginesq; Reginas, cum errore naturæ, qualis ELISABETHA fuit sexum supergressa. Vbi porrò si fiat, ut degeneres in loca majorum succedant, isto animo sunt tolerãda eorum imperia, quomodo sterilitas aut imbres nimii, & cætera mala: ut laudatus autor pharmacum propinat. Longè aliter, eoq; melius se res in suffragatione liberâ habere deprehenditur. Nutus divini, velut indices rerum arcanarum hîc ferè observantur: quod decantato Piasti exemplo è commentariis Polonicis docere vellem, nisi alterum ex ultimâ Tyriorum vetustate gravius videretur. Idq; ejus generis, meo animo, quod possit festivam hancce panegyrin velut bellum quoddam acroama jucunditate quadam perfundere. Tyrum urbem PHœniciæ clarissimam inopinata servorum conspiratio oppresserat: ita, ut cuncti liberæ fortunæ viri ad unum cum stirpe perierint. Servi verò oppidò rerum potiti uxores & filias eorum, quos perdiderant sibi jungunt matrimonio. Duo tantum ex omni civium numero

Cap. 1. theor: III. p. XVI.

Tacit: lib: IV *histor.*

vide Neugebau: in icon: p. XXI.

Iustin: lib. XVIII.

mero, ſenex cum filio admodum puero ob mite clemensq; imperium, ſervi operâ, cui manus parricidio contaminare religio fuit, occultè ſervati ſunt. Cæterùm accidit, ut cùm primùm conſilia de creando Rege moveri cœpta ſunt: is, qui domini heriq; ſui rationem habuerat, totam rem ad Stratonem (id nomen erat ſeni) detulerit. Comparatum autem erat inter ſervos, ut qui eorum poſtridiè naſcentem ſolem primus conſpicatus eſſet, tanquam ſuperis rex gratisſimus conſalutaretur. Itaq; monet hominem de ſe meritum Straton, inſtruitq;, ut cùm cæteri in ortum oculos intendiſſent, ipſe contrario ſtatu murorum faſtigia, quæ aliquantò priùs â ſole feriuntur, proſpiceret. Id ſenis conſilium ſecutus, ille primùm ſolis radium repentè a tergo demonſtravit. Cæteris in admirationem verſis ac ſciscitantibus, cujus id hominis eſſet commentum (nam ſervile id crederent, non potuerunt in animum inducere): coactus auctorem prodere, de hero â ſe ſervato confeſſus eſt. Vitâ itaq; Stratoni & filio conceſſâ, quadam numinis providentiâ ſibi ſenem iſtum ſervatum rati Regem conſtituunt, crimen nefariæ crudelitatis in heros commiſſæ hac numinis obſervantiâ expiantes atq; purgantes. Quod qui non videt divinâ virgulâ factum eſſe, nil videt. Iſtam haud pauci quoq; obſervaſſe ſe ajunt in electione VLADISLAI noſtri. Quod in omnium ore eſt, liberè in luce atque in omnium oculis ponim°. Divinum eſt, omnium voluntates conſpiraſſe in VLADISLAUM, nec quenquam de Regno ſtudiis contendentem habuiſſe. Si annales replicare libet, inveniemus non tam planâ viâ in ſolium adſcendiſſe Joannem Albertum magni principem animi & ingenii, filium CASIMIRI Jagellonidis Patris Patroniq; noſtri beneficentisſimi, quem piâ perenniq; memoriâ ſemper proſequemur. Poſt hujus obitum equidem varia erant Procerum in Comitiis, quæ tum Petricoviæ celebrabantur Regis creandi cauſſâ, in Regis defuncti filios ſtudia. Joanni Alberto favebant pleriq; propter ætatis prærogativam & ſpecimen virtutis bello Tartarico editum. Alii Alexandro natu proximo: pars Sigismundo juniori regnum addicebant. Ad ſummam, variæ & validæ erant utrobiq; rationes; ſed motus quoq; acriores. Tandem Joanes Albertus coactus Regnum pronubis armatis, quos ipſe collegerat & mater in præſidium velut auxiliares copias ſummiſerat, Regnum ambire neceſſe habuit; quod deniq; Procerum ſuffragiis exambiit, & populi foris circum comitium ſtantis clamore adjutus. Repetamus etiam vel leviter memoriâ (nam horret animus tacitos caſus meminiſſe) quàm difficilis SIGISMUNDO Parenti ad Regnum fuerit aditus. Vt verè dici poſſit, eum meliori fortunâ idem filio reliquiſſe, quàm ipſe nactus fuerit. Idque non niſi fato fieri, nemo inficias ibit, niſi qui rerum harum curâ ſupremum Numen non tangi profanè inficiaturus ſit. Quare laudabilis quoq; Procerum ad divini arbitrii normam conſenſio fuit, quorum rationes neque obſcuræ videntur eſſe, neque celari debent.

Neugebau: in hiſt: CCCC-XXIX.

Quum enim benè conſultum velint Reipublicæ, nihil videbant conſultius, quàm parenti filium, SIGISMUNDO VLADISLAUM SIGISMUNDUM, lubitu ſuo, rebus optimè expenſis, ut præclarus atque multorum ſeculorum uſu firmatus mos tenet in Poloniâ, liberâ creatione ſufficere. Prævidêre eum fore gratum ſubditis, in quorum omnium oculis eſt VLADISLAUS, finitimis venerabilem, quem ſtudioſè Regno commendabant, barbaris reverendum, qui famâ de ſpeciminibus ejus quicquam acceperunt, hoſtibus autem ſi qui ſunt, aut futuri ſint, quod omen DEUS avertat, facilè opponendum. Quin & in mentem veniſſe videtur Proceribus ſemper charæ Polonis Jagellonicæ ſtirpis reverentia, quæ non minùs, ut bona iſta prænomina, quibus ſalutatur Rex Dominusq; noſter Clementisſimus, VLADISLAI alterum, alterum SIGISMUNDI, facile eum cuicunq; Polonici ſanguinis conciliare potuerunt. Ita legimus, Regilianum Imperatore Galieno amore & applauſu ſolius nominis eſſe dignum viſum, cui Imperatorii faſces deferrentur. Cùm enim in cænâ quæſitum eſſet, â quânam origine nomen Regiliani deſcenderet, ac reſponſum fuiſſet, â Regno vel Rege, cujus varia eſſet per caſus flexio; ut dicatur Rex, Regis, Regi, & ita Regilianus, Regiliani: oppidò milites omine arrepto acclamaverunt; Ergò Rex eſſe poteſt, Ergo regere poteſt, De° ipſi Regis nomen impoſuit, ſit Rex Imperatorque noſter. Neque abſimile eſt illud, aut ab hoc inſtituto alienum, nomen Antonini ab memoriam ejus, qui pietate ſuâ agnomen pii ſibi comparavit, tam

Cælius: lib: XXIV. *A. Lacap:* VI.

Alexan: ab Alexan: lib: I. *cap:* II.

tam carum Romanis fuisse, ut eum Imperatoriâ dignitate indignum arbitrarentur, qui hoc nomine insignitus non esset. Vsque dum Antoninus Eliogabalus vitiis suis invisum id reddidit, atque collutulavit. Quid mirum ergò velut ad bona faustaq; nomina VLADISLAI SIGISMUNDI unum vel alterum è proceribus respexisse: quæ aliàs tacitâ & arcanâ quadam suavitate in mentes insinuare se solent. VLADISLAI nomen aliquot Regum memoriâ celebre est, inprimis VLADISLAI Iagellonis & alterius Vladislai Iagellonidis, ut uno verbo dicam, Optimorum Regum. Inter Sigismundos verò Primus mentis corporisq; admirandâ fortitudine præditus fuit, quod & injuriarum oblivione & adversarum rerum tolerantiâ declaravit. Idem florenti ætate ferreas equorum soleas & chartularum luforiarũ fasciculos discerpere potuit. Hunc subsecutus est Sigismundus II. Augustus compluribus ornamentis egregius. Pòst, intercedentibus Henrico & Stephano, Sigismundus III secutus est, qui nisi filium sibi similem reliquisset, sempiternum in animis nostris reliquum fecisset sui desiderium. Ita Regis Dominiq; nostri nomina pensitata fuisse, non est usq; adeò incredibile. Verùm familiam paternam â Iagellonicæ dignitate & bonitate dependentem spectatam fuisse, nihil est credibilius. Hoc nomine equidem quæsit⁹ est pater & è Suecià advocatus, ut qui natus erat patre Ioanne III. Sueciæ Rege & Catharinâ Iagelloniâ Sigismundi I. filiâ. Videtur enim persuasum esse Optimatibus, quicquid sit Iagellonicum, prodesse Reipublicæ. A Iagellonis regno profectò, velut ab optimo auspicio, semper aliquid accesit felicitati & amplitudini Rei Polonicæ. Vt minutiora non persequar: Vladislaus familiæ caput thesauris suis auxit ærarium Polonicum, & Litvaniam, alterum oculum Regni, corpori inseruit. Sub Casimiro Iagellonide nos ad idem Regnum accessimus, cujus tutelam atq; patrocinium adversus Cruciferos, quod miserè nos cruciarint, imploravimus. Sigismundo I. regnante Prussia Orientalis, formâ Reipublicæ in Ducatum commutatâ, tota ab Imperio Romano avulsa in clientelam ejus concesit. Sigismundi III. industriâ, Smolenscensis Vrbs recuperata, quam frustra ingentibus copiis antea obsederat Basilius, portentum hominis, nec unquam eam intrasset, nisi asino

Neugebau: in Icone Sigis. I.

Neugebau: in Icone Sigis. III.

Herburt: in CHronic: lib: XII cap: IV & V

Schütz: in Chroni: p. CCI *& seqq.*

Neugebau: in histo: p. CCC-XXXVI

Guagni: tom. II *rerum Polon: p.* CLXXXV.

si asino aureo vectus fuisset. A VLADISLAO Rege Dominoq; nostro Severiæ & Cernihoviæ ducatus amplissimos & rebus omnibus affluentes occupatos jam esse supra laudavimus. Quid non speremus ulterius? Nimirum ut occulto crescit arbor ævo, canente Poëta valdè bono, fixa radicibus ac frondes ramosque latè extendens: Ita familia Iagellonica à Vladislao Iagellone Duce Lithvaniæ exurrexit, ac nobili accessione Poloniæ pomœria auxit, semperq; ut ominamur, augebit. Quod quum ita observatum sit, nil mirum est, minimè difficilem deliberationem fuisse, ut VLADISLAO efflorescenti Regnum suamq; salutem Proceres Reipublicæ studiosissimi concrederent.

Horat: lib: I. *Od:* XII.

Ad ultimum (videtur enim me sermo præter spem in suavi argumento protractus ad finem vocare) causas suffragii nostri penitiores, quas habuimus, attexere necesse est: quas & succinctè exponam & ut decet absq; fuco, ex vero & absq; cerussâ. Quorsum enim aliò A. mei nobis vertendi fuissent animus & oculi, quàm ad spirantem vivamque SIGISMUNDI effigiem. Ejus, postquam nobis fato ereptus erat, imago obludebat memoriæ: recolebamus SIGISMUNDI in nos humanitatem: hærebamus in consideratione bonitatis & suavitatis ej⁹, quæ semper ex omnib⁹ verbis actisq; SIGISMUNDI elucebant: amissi Parentis (quem ita sæpius nominamus, quòd semper visus sit nobis huc collineare, ut pater nobis potius esse videretur, quàm Rex) tristi & luctuosâ recordatione nos conficiebamus: & ecce Numinis, conscientiæque instinctus nos ad VLADISLAUM respicere jussit, in quo viveret SIGISMUNDUS. In eum modum utique & facere solere viduas in orbitate relictas, quæ ab intuitu liberorum, in quibus mariti lineamenta conspiciunt, acris ac intimis medullis hærentis doloris solatia quærunt. Ac cùm eo, quo Pater solebat, blando comiq; vultu, quoq; ipse illustravit Vrbem nostram, cùm hîc quondam gratus hospes fuit, ac tacitâ quadam virtute sibi animos omnium conciliavit, se nobis objecisset VLADISLAUS: nihil antiquiùs ac magis in votis habuimus, quàm ut cælitus nobis obtingeret Rex, â quo nobis polliceremur optima quæq; ac universæ civitati maximè salutaria. Itaq; cum & suffragio nostro colendus esset, nihil alacriùs â

nobis

BIBLIOTEKA GDAŃSKA PAN

nobis unquam dictum est, quàm VLADISLAUM nos votis omnibus optare Regem ac Dominum. Neq; exprimere verbis facilè possum, quis ille sensus animi nostri fuerit, cùm hæc vel tacitè cogitavimus, vel quo perfusi sumus, quum Amplis. Vrbis Legati (quibus de reditu tum salvo, tum Vrbi optato atq; fortunato totius patriæ nomine meritò jureque gratulamur) ad nos detulerunt, quantam nobis spondeat Rex Novus benevolentiam. Ignosce tamen Serenissime Rex & Domine, si hæc, quæ celanda forsitan essent, velut in theatro divulgem atq; commemorem: ut quâ ratione nos viceris, atq; Tibi devinxeris, omnes intelligant. Vt paucis apud Te, non inscius pauco esse apud Reges Dominosq; utendum sermone, dicam: persuasi sumus habituros nos in Te SIGISMUNDUM, hoc est, Regem Patremque & optimum & benevolentissimum. Neq; unquam, sat scimus, nos fallet hæc tam præclara de Te concepta existimatio, cui obversatura semper ante animum SIGISMUNDI Genitoris Tui decora novimus. Qui quâ voluntate in nos fuerit, ignorare non potes, quòd ejus consiliis sæpè interfueris, certè lateri assiduus comes adhæsisti. Altiùs etiam suspiciens, oculos tuos referes ad inclytam charitatem CASIMIRI nostri, cui ante omnia debemus, quod immunitatibus præstantibus ornatissimus. Quæ exempla, tum recentia, tum vetera, etiam nobis nil monentibus Te ita inflammabunt, ut ne vel latum unguem ab istis majorum vestigiis desistas: quorum præclara facinora atque merita in hanc Vrbem nunquam eorum memoriam senescere sinent. Fave itaq; complectere nos benevolentiâ Tuâ, quos virtutibus Tuis, earumq; speciminibus ita Tibi devotos reddidisti, ut crediderimus peccasse nos, nisi Tuæ clementiæ subjecissemus bona & fortunas salutesq; nostras. Securè Tibi polliceri potes de nobis, quicquid expectari debet ab optimis paratissimisq; subditis. Preces sanè omnium civium pro salute felicitateq; Tuâ habebis assiduas, atq; inprimis DEO dicatorum hominum, quorum si non tantus est in Vrbe nostrâ numerus, ut in aliis castris, omnes tamen ardentissimè Tibi precantur diuturnitatem Vitæ Imperiiq; felicissimam. Declararunt hoc nuper publicè in concionibus divinæ Tuæq; Majestati votis, quarum hæc ferè summa erat, ut sapientiâ sis Salomo, felicitate Nebucadnezar, cùm in divinâ adhuc gratiâ fuit: tum precibus omnibus fatigandum Numen, ut & Tu pulcherrimam Optimi Regis, nos similem bonorum subditorum formâ exprimam°. Quibus ego ex istâ familiâ minimus accedens addo breve quidem, at serium votum: Vive, vale, viresce, vigesce VLADISLAE SIGISMUNDE Rex inclyte, ut Te Deus indies magis magisq; dotibus Regiis exornet. Sis Boleslaus audax, Mieczislaus Sapiens, Casimirus justus, Henricus Probus, Casimirus Magnus, Sigismundus longævus, denique laude quacunque floreas, quæ celebratur in antecessoribus atque majoribus Tuis. Similiter reliquorum, qui mœnibus nostris continentur, fidem & constantiam in periculis, studium in observantiâ, promtitudinem denique bonorum sanguinisq; profundendi pro Tuâ Regniq; incolumitate in quâlibet necessitate, & quicquid est honoris, quod Regibus debetur, polliceri Tibi potes maximè. Verbo dicam, si magnificentiores habeas inter Tuos, Tui amantiores vix habes alios.

vide Schütz: in Chron: pag: CCIII. & CCLXV. b.

Postremùm, ad Te Rex Regum Optime Maxime revertor oratione meâ, postquam eum Regem contemplati sumus, quem â muni Tuâ benignitate habemus: mecumque ad Numen Tuum adorandum tota se hæc concio componit. Obtestamur Majestatem Tuam & omni animi demissione rogamus, ut adesse velis ungendo coronandoque Regi nostro. Caput ejus orna sapientiâ, pectus prudentiâ, manus robore, conscientiam timore tuo, animum pietate, omnia denique membra vigore floreque diuturno. Flecte voluntatem ejus in nos, ut sit ei grata fides atque observantia nostra, veluti omnino est in manu tuâ cor Regis, ut rivi sunt in potestate aquilegum. Ita, ut quemadmodum in Regni paterni sedem evectus est: ita paterno animo semper invigilet commodis nostris. Faxis etiam tandem, ut cùm multos annos in hoc Regno feliciter exegerit, fide fiduciâque in merita Salvatoris filii tui æternum illud regnum obtineat. Pariter commendamus tibi Rempublicam atque civitatem nostram magnâ fortunarum parte imminutam. Fatemur equidem insigne esse hoc Vrbis nostræ ornamentum, nonnisi providentiæ Tuæ ac Regum nostrorum laudabili clementiæ adscribendû, quod

libera sit nobis Tui cultus & præconii Evangelici exercitio: verùm adde tamen huic tuo in nos favori, ut liberi ab insidiis & insultibus hostilibus pristinâ felicitate gaudeamus. Fatemur quoque, si statum nostrum conferre velimus cum vicinarum Regionũ ac Vrbium oneribus, avara esse hæc vota nostra: si peccata verò quoque nostra sunt respicienda, quibus iram tuam atque pœnas justas commeriti sumus, audacia: licita tamen esse videntur apud Te benevolentissimum Dominum, qui & paratus es veniam dare deprecantibus, & aliquando gratiam delictorum feciſſe corruptissimis laudaris. Pacem da nobis Domine. Floreat intra mœnia nostra pax aurea, pax aurifera & apex felicitatis Vrbicæ. Procul sint â civitate nostrâ annonæ caritas, pestis & quicquid est lernæ malorum. Fausta sint omnia, felicia, salva atque prospera, sub Rege Novo, Pio, Justo, Clementi, Forti, Felici. Fiat. In quo omine finio. Vestram AUDITORES observantiam in Regem, quam confluxu & audiendi patientiâ testati estis, ipse approbabit, si de eâ inaudiverit, ut non opus sit meo præconio.

JUDICIUM

JUDICIUM APOLLINIS
De
PLAUSU
quem super
ELECTIONE
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS
VLADISLAI SIGISMUNDI
SVECIÆ hæreditarii REGIS,
ad fasces
REGNI POLONIÆ,
II. Decembr. Anno ∞ *Io c xxxII.*
in Gymnasio Dantiscano excitavit
Rever: Clarissimus Vir
DN. JOANNES MOCHINGERVS
Æd: Cath: Concion: & Gymnasii Dantisc:
Rhetor.

IOANNES MOCHINGERVS,
anagramma
Acer, ingenI honos sum.

QVem MOCHINGERI in Gedanensi Suada Lycéo
Plausum excitavit de novo
REGE, hunc audivit Musis comitatus APOLLO,
Rogatus & sententiam
Dixit; is est honor ingenii *VIR, Rhetor is* acer,
Habet omen ille nominis.

PLANGOR & PLAVSVS
Gymnasii Dantiscani,
Añ: MDCXXXII.

SIGISMVNDVS TERTIVS POLONIÆ AC SVECIÆ REX,
anagramma
Ejus ampli regni sacer Jova custos, vindex est.
En sacer Jova ampli regni custos, jus judex est.

VLADIS-

VLADISLAVS SIGISMVNDVS POLONIÆ ET SVECIÆ REX,

anagramma

Ille pacis aura, & novus Legis vindex à Deo missus.
Salvator legis vel pacis vindex à Deo missus veni.

FAta SIGISMVNDI flebat Gedanense Lycéum
Parentis & Regis sui,
Cujus erat regni vigilans custodia Jovæ
Vindex, *precesq; pro novo*
Rege effundebat: Fletús nunc JOVA misertus.
VLADISLAVM Regem dedit,
Qui novus est legis vindex, spes pacis & aura.
Missa à Deo *POLONIÆ.*

NVnc caput id relevat, Regem plausuq; salutat
Novum, agit Deoq; gratias,
Qui quod deposuit GENITOR scansurus ad astra
Sceptrum redonat FILIO.
Huic, MOCHINGERI Suadâ præeunte, vovemus,
VLADISLAVS REX floreat!

Joannes Georgius Mœresius.

FINIS.

74901 1

POTENTISSIMI
Polonorum & Suecorum Regis
Prussorum Ducis, &c.

VLADISLAI QVARTI

Pii, Felicis, Inclyti,
Victoris ac Triumphatoris semper Augusti

SOLENNIS
DANTISCI
INGRESSUS
Publicâ Oratione
à
SENATU CIVITATIS
exceptus
die XIX. Decembr.
ANNO M. DC. XXXIV.

BIBLIOTEKA GDAŃSKA P.A.N.

Fridericus Faick Junio
Anno 1640.

REVERENDISSIMO PRÆSULI
ILLUSTRISSIMO DOMINO
DN. JACOBO ZADZIK
Episcopo Culmensi & Pomesaniæ
Supremo Regni Poloniæ Cancellario
Domino suo gratiosissimo
HENRICUS FREDERUS
P. P. P.

CRæsi filio, quem à primâ ætate nativus loquendi usus defecerat, vehemens in Patrem affectus vocem expressit; officiosæ pietatis fervore ministrante, quod negaverat Naturæ indoles. Me verò facundi sermonis infæcundum, cum publico Civitatis nomine verba facienda erant, communis lætitiæ vis & fœcunditas, ac devota Regii Nominis veneratio vocalem reddidit. In primis linguam, artis expertem, inflammavit HEROIS nostri incomparabilis admiranda gloria, quæ cum ambitiosis priscorum titulis collata sublimitate suâ exuperat universos: HEROIS illius, qui, teste Invidiâ, est terror hostium, salus subditorum, solatium afflictorum, gentium columen, Orbis amor, sæculi delicium. *Quæ igitur MAGNI REGIS honori dicta heri est Oratio, etsi necessario quodam vitio res augustissimas angustis spatiis complexa, memoriæ posterorum exscriptam hîc exhibeo, non alio fine, quàm ut HEROICÆ Virtutis ac sinceræ devotionis argumentum præbeat, quæque per se parum existimationis fortè habitura sit, benigno Illmæ. Cels. Væ. judicio commendatior evadat. Quod si hunc saltem obsequentissimæ voluntatis fructum assequar, ut obstinatum benè merendi studium meum non improbari intelligam, ac potissimùm, ut Responsi, jussu Regio publicè dati, vicissim compos reddar, ingens me feciſſe operæ pretium arbitrabor. Faxit Deus, ut conatus & vota nostra prosperè cedant, REGI REIPUBLICÆ NOBIS; seu ut brevius eloquar, REGI: in quo & RESPUBLICA & NOS sumus.*

Scrib. XX *Decemb. Anni exeuntis* M DC XXXIV. *post cujus decursum sequentes multos Illmæ. Cels. Væ. felicissimos & solidâ restitutæ Pacis gloriâ insignes precor.*

E. XVI 304 nie not zbiorów
E XXXIII 155

Ad
SACRAM REGIAM MAIESTATEM
Urbem intrantem
COMPELLATIO SENATUS.

SACRA AC SERENISSIMA REGIA MAIESTAS
AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

FElicissimus Sac. Ræ. Mtis. Væ. in Urbem hanc adventus tantam affert omnibus lætitiam, ut gratiorem auspicatioremvé Patriæ nostræ illuxisse diem nemo unquam meminerit. Hinc effusa populi gestientis turba, ceu ad beneficum & salutare sidus terris affulgens, certatim concurrit undiquè; omnis ætatis, sexus, & conditionis homines, in explebili voluptatis sensu affecti, iucundissimo aspectu frui satagunt; omnia plausibus, iubilis & faustis acclamationibus circumquaque personant; ipsa à solo divelli Urbs, si rerum natura pateretur, & in occursum venire parata, publica effervescentis gaudij insolentia exultat; Civitas universa, rerum gestarum magnitudine attonita, quem Principem salutavit antea, quacunque Fortuna maiorem, nunc Regem veneratur, supra omnem humanæ sortis gloriam positum, hostibus formidabilem, amicis delectabilem, suis desiderabilem, cunctis admirabilem.

Senatus Civitatis, quem præſentia Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ, Domini noſtri clementiſsimi, ſummè recreat, & in spem melioris fortunæ erigit, devotiſsimis animis præſtò eſt, & nuperos bellorum ſucceſſus, ipſa ferè expectatione & conſilijs humanis feliciores; tùm huncipſum á partis triumphis & redintegratâ pace, Urbis ingreſſum gratulatur: verum ita, ut pietatis affectus vocem ſimul & vota ſuperet.

Agnoſcit divini Numinis beneficium, quo Moscorum perfidia nullum niſi in Regali gratia refugium reliquum habuit; quo Turcarum tyrannis ſola adventus Regii fama profligata eſt: quo Barbarorum furor, in propriam præceps perniciem, & violati fœderis ſanctitas exitiale in authores ſceleris ſupplicium convertit. Agnoſcit etiam Regiarum virtutum ſplendorem, qui magnanimitate in periculis, prudentia in conſiliis, celeritate in actionibus, conſtantia in moleſtiis, dexteritate in negotiis, moderatione in victoriis clariſsimè emicuit; qui in ſummo dignitatis ac potentiæ faſtigio Fortitudini & Clementiæ palmam ambiguam fecit.

Proinde gratias agit immortales ſupremo rerum Arbitro & Rectori Deo, quod Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram, poſt ſuſcepta confectaque pro communi ſalute bella, initijs aſpera, progreſſu glorioſa, exitu ſalutaria, ſpretis longorum itinerum taediis, auſpicatò reducem, non modò ſalvam & incolumem, ſed trophæis & laureis inclytam, hodierna lux conſpiciendam præbuit. Gratias quoque humilimas agit Maieſtati Veſtræ Regiæ, quod, dum in obeundis ditionibus ſuis Terrarum Pruſsiæ occupatur, in adeunda pariter Urbe, fidelitatis obſequio nulli ſecunda, paternæ clementiæ & benignitatis inæſtimabilis documentum dedit; nec luctu domeſtico fraterni funeris, Principis nuper florentiſsimi, (quo Fati iniquitas feſtivitati recentis gaudij obſtrepere voluit) cæpta Regiæ ſolicitudinis curricula atque Honoris ornamenta, aut publicæ hilaritatis ſtudia interrumpi paſſa eſt: Quæ ut perpetua nobis ſint, nec unquam noxiæ viciſsitudini obnoxia, ſed acceſsione novi trophæi & ſecuturæ tranquillitatis adoreâ cumulatiora obtingât, ex intimis pectorum penetralibus Senatus præſens exoptat. Atque hoc unicum ad felicitatis perfectionẽ poſſe adiungi ratus, haud dubiè antea calamitates bellicas, iniuriasque varias, brevi temporis intercapedine, vel levi opinionis diſcrimine, apertæ tantùm hoſtilitatis impetu diſtinctas, domi foriſque ideò perferendas fuiſſe exiſtimat, ut auſpiciis demum Sacræ Regiæ Veſtræ Maieſtatis optatâ ac ſuæ ſolius gloriæ cælitus reſervata Pace & Concordia tuti perfruamur.

Qua boni ominis fiducia ſe ſuaque omnia, fortunas & vitæ commoda, iura ac libertates, & quicquid ſub Sole charum poſsidet, Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtræ, Domino noſtro clementiſsimo, in cuius æquanimitate & regnandi Iuſtitiâ firmiſsimum ſalutis ſuæ præſidium tenet, Civitas hæc libenter committit: quæ uti hactenus fidelium ſubditorum partes modis omnibus implere ſtuduit, ita poſthac enitetur ſedulò, ne vel à rectè faciendi propoſito deflexiſſe uſpiam, vel Fidei inconcuſſæ integritatem & æternæ Conſtantiæ decus, Bonis omnibus probatum, cum Famæ opprobrio deſeruiſſe videatur.

Iam verò ad conteſtandam uberiùs humilímæ ſubiectionis ſuæ promtitudínem, & perennem in Reges ſuos obſervantíam, claves portarum Civitatis huíus Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtræ ſubmiſſo veneratíonis cultu Senatus offert: certò ſibi perſvadens, nullam aliam benè beateque vivendi rationem nobis conſtare poſſe, quàm ſub pio felicique Regiæ Maieſtatis Veſtræ regimine. Cui ut deinceps proſpera quæque & læta ſemper eveniant, ſolenni devotæ mentis voto Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram lætus proſequitur:

VIVAT, FLOREAT, IMPERET,
DIU, TRANQVILLE, FELICITER,
REX AUGUSTISSIMUS
TRIUMPHATOR INVICTISSIMUS
SOSPITATOR GLORIOSISSIMUS.

Reſpon-

RESPONSUM
Nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis
ab Illuſtriſſimo
Domino Cancellario Regni datum.

Nihil aliud Sacra Regia Majeſtas & ſperare & expectare potuit à fideliſſimâ hac Civitate, niſi eam conſtantis fidei debitæque ſubjectionis teſtificationem, quam non tantùm verbis ſed factis exprimunt: ea vota, quæ pro ſalute & incolumitate Sacræ Regiæ Majeſtatis concipiunt, eaſque feliciſſimorum Sacræ Regiæ Majeſtatis ſucceſſuum fauſtas & Spectabilis Senatus & univerſi populi in occurſum Sæ. Ræ. M. effuſi comprecationes, quibus advenientem in hanc Civitatem Sacram Regiam Majeſtatem, trophæaque pacis ex Septentrione & Oriente in eandem inferentem, veluti benignum quoddam ſydus excipiunt. Id enim & Majorum veſtrorum à primæva eaque ſpontaneâ Sereniſſimis Regibus Poloniæ ſubjectione, intemerata erga Divos Prædeceſſores Sacræ Regiæ Majeſtatis fides; id periculorum quorumvis in gravioribus caſibus contemptus; id privatarum etiam facultatum ſalutis publicæ cauſâ profuſio quædam pollicebatur, Civitatem hanc ſimillimam ſibi fore, neque quicquam à Majorum ſuorum veſtigiis receſſiſſe vel recedere velle. Expertus eſt Sereniſſimus Divæ memoriæ Sigiſmundus Tertius, Parens & Prædeceſſor Sacræ Regiæ Majeſtatis; ſpectavit ipſa Sacra Regia Majeſtas, antequã Regni gubernacula ſuſcepiſſet, conſtantem omnibuſque occaſionibus conteſtatam fidem veſtram, quos neque blandæ & immenſæ hoſtis pollicitationes in partes trahere, neque advenientis ipſius, captarumque vel potius turpiter deditarum vicinarum Civitatum exempla oſtentantis, impetus terrere, neque remotior ſpes ſuccurſus aliquâ ratione à fide officioque avocare potuit.

Quæ omnia uti gratiſſimâ recordatione Sacra Regia Majeſtas recolit, ita gratiſſimo quoque ea, quæ nunc Sacræ Regiæ Majeſtati a vobis præſtantur, tanquam ex candido ſinceroque profecta affectu, excipit animo.

Et ea quidem, quæ per Sacram Regiam Majeſtatem in præteritis hiſce expeditionibus, boni publici cauſâ, acta & geſta ſunt, quæve per vos

ſunt

sunt commemorata, Sacra Regia Majestas Domino Deo Exercituum, qui magnam hanc fecit virtutem, accepta refert, ejusque clementiæ ac benignitati adscribit, ac Divinam ipsius Majestatem precatur, ut eam felicitatem, quam largita est in reprimendis diversorum hostium conatibus, eandem quoque contra reliquos Reipublicæ istius hostes largiri votaque vestra rata habere velit.

Cæterum Sacra Regia Majestas Spectabili Senatui totiq; Civitati gratiam ac benignitatem suam Regiam defert, protectionemque in conservandis illorum juribus & privilegiis pollicetur, certò sibi persuadendo, & Spectabilem Senatum & universam Civitatem in constanti semper fide erga Sacram Regiam Majestatem & Rempublicã permansuram, omniaque bonorum & fidelium subditorum tàm pacis tempore, quàm undequaque Regia Majestas restitutam cupit, quàm etiam belli, si pervicacia hostium eò invitam Regiam Majestatem traxerit, officia expleturam.

Claves Portarum Civitatis, quas in signum suæ Sacræ Regiæ Majestati subjectionis tradunt, easdem illis Sacra Regia Majestas restituit, constanti earundem fidei integrisque mentibus & portas & securitatem suam committendo.

P·A·N BIBLIOTEKA GDAŃSKA

94628 2

Adorea Dantisci
Celeberrimæ Borussiæ Metropolis;

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, multarum rerum experientiâ Præstantissimis
VIRIS,

DN.

CONSULIBUS ET SENATORIBUS

Florentissimæ eiusdem
Reip: Gravissimis,

Honoris & observantiæ ergò concentu Musico decem vocum concinnata & consecrata

à


JACOBO LOTICHIO

Directore Chori Musici apud Rigenses.


DORPATI LIVONORUM,
Exscripta typis Acad.
Anno
M. DC. XXXVI.

P·A·N BIBLIOTEKA GDAŃSKA
Stadtbibliothek DANZIG

BASSUS GENERALIS.



DISCANTUS PRIMI CHORI.



adve- ctis mercibus amplas; Ar tibus in ge nuis DIVA MI-

NERVA, ij. polit: Al- ma CE-

RES fundos ſti pat lar- giſsi ma frugum. Auſo-

ni o ut certent fer ti li ta te

ſo lo. Macta bonis tan tis! Quam Numina tanta ſere-

nant, MARS, PLU- TUS, NEREVS, DIVA MINERVA, CE-

RES, CE- RES.

ALTUS PRIMI CHORI.

EN the a Sarma ti ci Sarma- ti ci DANTI-

SCUM glo ri a Re- gni! Enthe a Sarma ti ci DANTI-

SCUM glo ri a Regni glo ri a Regni. Quin & Pruteni ſuavis ocelle ſoli!

ij. ſuavis o celle ſo li! In Te,

ſta bilem conſti tu è re locum; conſti tu è re locum Doti-

bus ornando va-ri js ſe cère beatam ſe cè re be atam: Quæq;

tenent plures plurima, ſo la tenes, ſo la tenes.

SECVNDA PARS.

MARS muros cin xit de cu manis decumanis

turribus altos; Di tavit PLUTUS re lo cu-plete domos:

ij. Auget o pes NEREVS advectis mercibus am plas; Ar ti-

bus in ge-nu is DI VA MI NERVA, ij. polit:

Al- ma CERES fundos ſtipat largiſ sima frugum.

Au- ſo ni o ut certent ferti li ta te ſo lo. ſo lo

Macta bo nis tan-tis! Quam Numina tanta ſe renant, MARS,

PLU TUS, NEREVS, DIVA MINERVA, CERES, DIVA MI-

NERVA CE-RES.

TENOR PRIMI CHORI.

ENthe a Sarma ti ci DANTI-

SCUM gloria Regni! Enthe a Sarma ti ci DANTISCUM glori a

regni ij. Quin & Pru te ni ſuavis o cel le ſo li!

ſuavis o cel le ſo li! ij. ſo li! In Te,

ſtabilem conſtitu ère locum; conſti tu ère locum Doti-

bus or nan do va ri js fe cè re bea-

tam beatam: Quæ q; te nent plu- res plu ri ma, ſo la

SECVNDA PARS.

te- nes, ſo la te nes,

MARS mu- ros cinxit decuma- nis turribus altos;

Di ta vit PLUTUS re lo cu plete do mos: Auget o- pes NE-

REVS adve- ctis mer- cibus mercibus amplas; Ar ti-

bus in ge-nu is DI VA MINERVA, ij. polit;

Al- ma CE- RES fundos sti-

pat largis sima frugum. Au so ni o

ut certent fer- ti li ta te so lo.

Macta bo-nis tantis! Quam Numina tanta serenant, MARS, PLUTUS,

NEREVS, DI VA MI NERVA, CERES, CE-

RES. ij.

TENOR PRIMUS CHORI SECUNDI.

EN the a Sarma ti ci DANTISCUM

glo ri á Regni! glori a regni Quin & Pru te- ni suavis o cel le so li!

suavis o celle so li! In Te, ij. se- de sibi

majorum Nu mina genti um e le cta stabilem con-

sti tu è re locum; consti tu è re locum Do tibus ornan do

va-ri js fe cè re bea- tam fecè re be atam: Quæ-

q; tenent plures' plurima, plurima so la sola tenes,

SECVNDA PARS.

so la te nes,

MARS muros cinxit de cu manis turribus altos; Ditavit PLUTUS

re lo cu plete domos: Auget o pes NEREVS adve-

ctis mercibus amplas; Ar tibus in ge-nu is DI VA MINERVA, ij.

po- lit: Al- ma CE-RES fun-

dos fti- pat largiſ sima frugum.

Au- ſo ni o ut certent ferti li ta te

ſo lo. ſo lo Macta bo-nis tantis! Quam Numina

tanta ſe re nant, MARS,PLUTUS,NEREVS,DIVA MINERVA,CERES,

CE- RES. ij.

BASSUS PRIMI CHORI.

EN the a ij. Sar ma ti ci ij. DAN-

TISCUM glo ri a ij. Regni! Enthe a Sarma ti ci DAN-

TISCUM glori a regni ij. Quin & Pru te ni

ſuavis o cel le ſo li! ſuavis ocel le ſo li ij.

In Te, ſtabilem con ſti tu è re locum; con-

ſtitu è re locum; Do tibus ornando va ri js ſe cè re be a tam

be atam: Quæq; tenent plures plurima,ſo la tenes, ſo la te nes.

SECVNDA PARS.

MARS muros cinxit decuma nis tur-

ribus altos; Di ta vit PLUTUS re lo cu plete do-

mos: Auget o pes NEREVS ad ve- ctis mer cibus am-

plas Ar ti bus in ge nu is DI VA MI-NERVA, ij.

polit: Al ma CERES fundos ſtipat largiſ sima frugum.

Auſoni o ut certent fer ti li ta te ſo lo. Macta bonis tantis!

Quam Numina tanta ſere nant, MARS, PLUTUS, NEREVS,

DIVA MI NERVA, CERES, DIVA MINERVA CERES.

BASSUS SECUNDI CHORI.

ENthe a Sar ma ti ci DANTISCUM gloria Regni!

glori a regni Quin & Pru teni ſuavis o cel le ſo li! ij.

In Te, In Te ſe de ſi bi majo- rum

Nu mi na genti um e lecta ſta bilem conſti tu è re locum; con-

ſti tu è re locum; Do ti bus or nan do va ri js fe cè re be-

a tam be a tam: Quæ q; te nent plu res pluri ma, ſo la te-

nes, ſo la te nes.

SECVNDA PARS.

MARS muros cinxit decuma nis turribus

altos; Di ta vit PLUTUS re lo cu plete domos: Auget o-

pes NEREVS ad ve- ctis mercib9 amplas; Ar tibus in genu-

is DIVA MI-NERVA, ij. polit: Alma

CERES fundos sti pat lar gis si ma frugum, Auso ni o ut certent

fer ti li ta te so lo. Ma cta bonis tantis! Quam Numina

tanta sere nant, MARS, PLUTUS, NEREVS, DIVA MINERVA, CERES,

DI VA MINERVA CERES.

TENOR 2. CHORI SECUNDI.

N the a Sarma ti ci DANTISCUM ij.

glo ri a Regni! ij. Quin & Pru teni suavis o cel le so li!

suavis o celle so li! In Te, ij. se- de si bi majo-

rum majorum Numina numina genti um e le cta stabi-

lem consti tu è re locum; consti tu è re locum Do tibus ornan-

do va-ri js va-ri js fe cè re fe cè re be a-

tam: Quæq; tenent plu- res plurima, plurima so la tenes,

so la tenes te- nes.

SECVNDA PARS.

MARS muros cin xit de cu- manis

turribus altos; Ditavit PLUTUS re lo cu-plete do- mos:

Auget opes NEREVS adve- ctis mercibus

amplas; Ar ti bus inge-nu is DI VA MINERVA, ij.

polit; Al- ma CE- RES fundos ſtipat largiſsi-

ma fru- gum. Au- ſo ni o ut cer-

tent fer- ti li ta te ſo lo.

Macta bo-nis tantis! Quam Numina tan ta ſe renant, MARS,

PLUTUS, NEREVS, DIVA DIVA MINERVA, CERES, CERES.

ij.

2. DISCANTUS PRIMI CHORI.

Nthe a Sarma- ti ci DAN-

TISCUM glo ria Re- gni! ij. Enthe a Sarma ti ci

DANTISCUM glori a regni ij. Quin & Pru te- ni

ſuavis o cel le ſo li! ſuavis o cel le ſo li! ſua vis o celle

ſo- li! In Te, ſtabilem conſtituère locum; conſti tu ère lo-

cum Do tibus ornan- do va ri js fe cè re bea-

tam beatam: Quæq; tenent plu- res plurima, ſo la

tenes, ſo la ſo la te nes.

SECVNDA PARS.

MARS mu- ros cinxit de cu ma- nis

tur- ribus altos; Di ta vit PLUTUS re-

locuple te Domos: Auget opes NEREVS advectis adve- ctis

mercib9 amplas; Ar tibus in ge- nu is DI VA MI-NERVA,

ij. polit: Al- ma CERES fun-

dos ſtipat lar giſ sima frugum. Auſo-

ni o ut cer- tent fer ti li ta te ſo lo. Macta bo-

nis tantis! Quam Numina tanta ſere nant, MARS, PLU TUS,

NEREVS, DIVA MI NERVA, CERES, CE-

RES.

ALTUS SECUNDI CHORI.

EN the a Sarma ti ci DANTISCUM glo ri-

a Re-gni! ij. Quin & Pruteni ſuaviſo cel le ſoli!

ſuavis o celle ſo li! In Te, ij. in Te ſe- de ſi bi ma-

jo- rum Numi na e-

le- cta ſta bilem conſti tu è re locum; con-

ſti tu è re locum Do ti bus ornan- do va ri js fe cè re bea-

tam bea tam: Quæ q; tenent plu res plurima, plurima ſo la

tenes, ſo la tenes.

SECVNDA PARS.

MARS muros cinxit decumanis turribus

altos; Ditavit PLUTUS re lo cu-plete do- mos:

P. A. N. BIBLIOTEKA GDAŃSKA

Auget opes NEREVS advectis merci bus amplas am plas; Arti-

bus in ge-nu is DI VA MINERVA, ij. polit: Al-

ma CE-RES fundos ſtipat ſti- pat largiſ sima frugum.

Au- ſo ni o ut certent ferti li ta teſo lo.ſo lo

Macta bo nis tan- tis! Quam Numi na tan ta ſe re-

nant, MARS, PLU TUS, NEREVS, DIVA MINERVA, CERES,

DIVA MI NERVA CE-RES.

DISCANTUS SECUNDI CHORI.

EN the a Sar ma ti ci DANTISCUM glo-

ri a Regni! ij. Quin & Prute ni ſuavis o-celle ſo li!

ij. In Te, ij. In Teſe de ſi-

bi majorum Nu- mina gentium e lecta ſta bilem con-

ſtitu e re locum; ij. Do tibus ornan- do or-

nan do vari js ſe cè re be a tam fecè re be atam:

Quæq; te- nent plu res plurima, ſo la tenes, ſo-

la te nes. ij.

SECVNDA PARS.

MARS muros cinxit decumanis turribus altos; Di ta vit PLUTUS

re lo cu ple te domos: Auget o pes NEREVS advectis

mercibus amplas; Ar tibus in ge nuis DIVA MINERVA,

ij. po- lit; Al- ma CE-

RES fun- dos sti pat largisi ma frugum. Au-

so ni o ut certent fer ti li tate so- lo

so lo. Macta bonis tantis! Quam Numina tanta sere nant,

MARS, PLU- TUS, NEREVS, DIVA MINERVA, CERES, DI-

VA MI NERVA, CERES.

Encomion Urbis Gedani.

ENthea Sarmatici, DANTISCUM, gloria Regni!
Quin & Pruteni ſuavis ocelle ſoli!
In Te, ſede ſibi, majorum Numina gentium
Electâ, ſtabilem conſtituêre locum;
Dotibus ornando varijs fecére beatam:
Quæq; tenent plures plurima, ſola tenes.
MARS muros cinxit decumanis turribus altos;
Ditavit PLVTVS re locuplete domos:
Auget opes NEREVS advectis mercibus amplas;
Artibus ingenuis DIVA MINERVA polit:
Alma CERES fundos ſtipat largiſsima frugum,
Auſonio ut certent fertilitate ſolo.
Macta bonis tantis! quam Numina tanta ſerenant,
MARS, PLVTVS, NEREVS, DIVA MINERVA, CERES.

BIBLIOTEKA GDAŃSKA P·A·N

74372
3. 2

EXCLAMATIO PANEGYRICA,

SVPER

GYMNASII GEDANENSIS NATALI;

QVEM
DIES XXII DECEMBRIS,
ANNI CHRISTIANI M DC XLIII RVENTIS,
ATTULIT.

Stadtbibliothek DANZIG

BIBLIOTEKA GDAŃSKA P·A·N

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ET AM-
PLISSIMIS, IN VRBE GEDANEN-
SI PRIMORIBVS,

DN. NATHANAELI SCHMIEDEN,
JAM BVRGGRAVIO REGIO
EMINENTISSIMO;

DN. CONSTANTINO FERBERO,
MODO PRÆCONSVLI PRÆSIDI
HONORATISSIMO;

DN. DANIELI FALCKIO,
SENATORI BENE MERITO;

DN. ADRIANO von der LINDEN,
CONSVLI FLORENTISSIMO;

MAGISTRATVS CIVICI AVTORITATE
DESIGNATIS
GEDANENSIUM SCHOLARUM
CVRATORIBVS DIGNISSIMIS:

(SVB QVORVM CONSVLATV,
ANNO A NATO SERVATORE, M DC XLIII,
IN DIEM XXII XBRIS,
GYMNASII DANTISCANI
NATALIS RECENS NOVUS
INCIDIT:)

Exclamationem hanc Panegyricam,
cum acclamatione promtissimâ,
ut Quatuor Omnibus
Honorum egregiorum ac vitæ prosperrimæ
usus sit longævus;
offert studiosissimè
JOHANNES MOCHINGERUS,
Ædis Catharinææ Pastor, Gymnasiiq;
Rhetor.

E. XXII 473

QUæ in publicum modò erumpit, non magis valui continere vocem, cùm novum Gymnasii nostri natalem, præter opinionem, luce proximâ, mihi videre contigit, quàm suam virilis infans, Crœsi filius; dum extremam Patri imminere spectavit horam, districto, qui jam jam intorquendus erat, cum gladio, in genitorem ruente milite ignaro, ubi omnium primò ille in loquelam solvi & inclamare: parce, Crœsus est. Quâ ratione vitam Parenti conservavit, qui suam ab eo acceperat, & genitoris quasi alter factus est genitor, non pius minùs, quàm admirabilis Orator, & Patris, à quo capitis præsentissimum periculum depulit, gemino sine exemplo, Patronus.

Ego autem, non in illætabili, horroris caussâ, sed læto in occursu, honoris gratiâ, vocem edens, quantum possum, maximam, exclamo jam nunc, obvioq; cuicunq; occlamo: Plaude, Patriæ bene est. Pace, quæ una felicitates omnes complectitur, in sinu gaudemus fruentes. Agri circumcirca siti vel florent, vel florem minantur. Terra, almæ matris instar, affatim suppeditat necessaria. Hinc mare; illinc Vistula, advehunt nobis alia: alia evehunt. In Urbem bipatentem tutus est à malis negotiis feriatis, aut benè negotiosis, introitus; nulliq; ex eâ rursum, vel otii vel negotiorum ergô, negatur exitus. Curiæ curis favet DEUS. Idem, eam ob causam, & propter salutem omnigenam acquiren-

dam, rite in Oratoriis invocatur. In officinis Muſæis vacatur parvis quiritibus, ad omnem vitam, eamq; honeſtam, & verè vitam (cùm abſq; literis vita, vivi ſit hominis ſepultura) præformandis ac fingendis. Forum affert omnia. Utinam hæc nobis, ſub Rege Cœleſti, ejusq; apud nos Vicario propitio, VLADISLAO, diuturna ſint, ac, quod malumus, perpetua!

Inter cætera curſus rerum noſtrarum ſecundioris argumenta deprædicare habemus, quòd delubri Muſis conſecrati, inter Scholas Urbicas principis, & in domiciliis publicis vix poſtremi, natalis recens, die, qui in faſtis vigeſimus & ſecundus Decembris numerabatur, non præter fas, meliore, ut Pöeta loquitur, lapillo celebratus, ex voto nuper illuxerit. Primus Lycei hujus auſpiciis quondam dicatus, quem annalium præconium ebuccinat, ac quaſi Alpha, eſt ille: ubi ædificium principiò reſonare eſt doctum pietatem, arteſq; depurgatas. Eſt hoc univerſis ac ſingulis, qui tum Urbis hujus gubernacula tractarunt, jam autem pridem Civitatis ſupernæ jure ſunt donati, viſum probabile, ut talis hîc loci aperiretur ludus nobilior: ſed vel maximè, majoribus & nepotibus præſtantiſſimis nobili Præconſuli (cujus, & ſanguinis, & virtutum, & dignitatis, & ſtudii in communia Patriæ ornamenta q; commoda q; verè heres cognominis, pro eo, ac par eſt, cum annoſæ incolumitatis ſincero voto, à nobis obſervatur) *Conſtantino Ferbero*, quem *Henricus Mollerus*, Vir doctus, & in Patriæ Parentem pius, nominatim decantavit his verſibus, libro pöematum inſertis:

Conſtantinus *erit Clariis* Ferberus *alumnis*
Laude ſacer, Clarii præſidium q; chori.

Atria

Atria quo Muſis ſacer invitante Senatus
Condidit, æternæ nobile laudis opus,
Conſul amans q. DEI, ſortis q. & pectoris armis
Splendidus, ac patrii firma columna ſtatus.

Conditorem & Architectum majorem Phrontiſterii accepimus: non ignorandus Rectorum Anteſignanus, arbitratu publico olim factus: atq; is fuit, diſciplinæ recturæq; peridoneus, *Johannes Hoppius*. Quo de, pariterq; & cæteris, quos, poſt eundem fato excuſſum, DEI DEorumq; providentia ad puppim admovit, ut fidæ gratarum & induſtriarum manuum chartæ, alia atq; alia famæ dedere: ita pagellæ præſentes iſtos ſolùm loquentur, quos oculis noſtris intuiti ſumus defungi imperio Scholico.

Annus volvebatur, à Chriſti natalibus. M DC XXXI. cùm Doctor *Johannes Botſaccus*, quem doctrina rerum ſacrarum publicè celebris, non minùs aliis commendabilem, quàm modeſtia (ut ideo eam gravis encomii moleſtiâ afficere nolimus) nobis amabilem reddidit; doctæ palæſtræ gubernationi legitimè eſt præfectus, apexq; choro Apollineo præſtitutus, fortunato ſidere. Qui dies, quo hoc accidit (fuit autem ille VII. menſis Auguſti) novus quaſi natalitius noſtri Aſceterii, haud injuriâ, opinor, à me reputatur Quemadmodum enim, quando, hac tempeſtate, puſiones tinguntur, caput tantùm adſpergere ſolemus, & ita nomen homini inditur: perinde, exiſtimatione meâ, vel naſcitur Schola, vel renaſcitur, cùm, qui gregis Rex eſt, caput ei imponitur; natalem nominalemq; novum quaſi nacta. Enimvero factum eſt, ſuperioribus menſibus (non quòd malè, ſed quòd non malè ſuam ornaſſet Spartam) ſemotus fuerit, & ſubvectus in ſuggeſtum Ædis, ut in primario primariæ hodiè-Vrbis loco ſitæ; ita primariæ: ubi, ut ſe dant initia,

& benè utilis, & acceptus erit majorum gentium auditorio ſuo; honorificæ recordationis causâ nuncupatus D. *Botſaccus.*

Non poterat autem orba eſſe Scholæ Cathedra, atq; Studio contiguæ Eccleſiæ: & ideo, qui utramq; cum honore ſuo, & fruge communi, occupare non nequiret, quæſitus providentiſſimè. Tulere ſententiæ, calculiq; honorati, publici ponderis, auſpicatum fore, ſi præclarus aliquis Regiomontanæ Academiæ Profeſſor, Urbis Regiæ Gymnaſii Director conſtitueretur. Amplexi ſumus ætate, ingenio, induſtriâ, & diſputandi peritiâ pollentem D. *Abrahamum Calovium:* quem jam complectimur.

Venit cum eo, in præſentiâ, in mentem unius atq; alterius emporii celebris, quod, intra non multos annos, noſtrâq; tantùm memoriâ, eventu non adverſante, evocavit, ex majoris nominis Athenæis, inſignia nomina. Ex Academiâ Wittebergenſi, Theologum cordatum, D. *Nicolaum Hunnium* excivit Imperialis Lubeca, & famæ incremento eapropter facta eſt beatior; jam Beati verò etiam oſſa cineresq; tenet. Similiter geſtit & effert ſeſe adhuc dum vivi Amſtelodamum, immenſæ eruditionis Viri, *Johannis Gerhardi Voſſii*, poſſeſſione, quem Leidenſi extorſit Academiæ. Quæ quoq; Academia, ſibi ante oculos verſantem, cùm *Caſparem Barlæum*, Oratorem illum & Pöetam veteranum, veteribusq; ac nonniſi ex iſtorum numero principibus, Cæſari, Conſuli, Virgilio, Claudiano, aliis, comparandum; retinere penſi non habuit: Urbium Hollandicarum magnes ad ſe attraxit. Supra annum fortè excurrit aliquid, ubi Jenenſis Academiæ brachiis ereptus, in ſinum hoſpitæ heræq; ſuæ benevolentiſſimæ, Noribergæ, quæ Urbium Germanicarum eſt ocellus, ſe conjecit, ſummo ingenio præditus Polyiſtor, *Johannes Michäel Dilherrus.* *Eliam Taddelium*, ob eruditionis excellentiam non vulgarem, ad ſolidam laudem efflorescentem, tenere non potuit Roſtochienſis Academia; accipere potuit haud ita pridem Amſtelodamenſis Eccleſia, Pandectis divinis, Auguſtanæq; profeſſioni adhærens religiosè. Jam noſtrum eſt Academiæ vicinæ non infimum antehac decus.

Nolit Optimus Maximus, ut decreſcant Scholæ metropoles! Velit tamen ſimul idem, ut creſcant Scholæ filiæ! Precari utiq; Chriſtiani eſt nominis, ut ephebea maxima, medioxuma, infima non prorſus obterantur, in Europæ panolethriâ præſente, quæ luculentiſſimum videtur totius orbis mundani interitus catholici exhibere ſimulacrum. Precari itidem Chriſtiani eſt nominis, ut ne viri defiant docti, Baſilicisq; divinis ac humanis, quemadmodum & ſcenæ privatæ utiles. Requirant licet cùm maximè præſentia milites, eosq; admirabiles ſimul, ſimulq; terribiles reddant: præterita, præſentia, futura efflagitant eruditos. Illa, ut memoriâ conſerventur & literis tradantur; iſta, ut dirigantur; hæc, ut prævideantur; ſuppetere oportet ſcientiſſima capita. Si Tuum eſt, *Philippe*, literatorum Teutonicorum aquila, de venturâ olim rerum trium (amicorum videlicet certorum, monetæ nequaquam adulteratæ, lignorumq;) carentiâ, lippis tonſoribusq; notum præſagium; cur non Tibi occurrit vereri, ut indigeret orbis aliquando eruditorum? Metuit hocce oculatiſſimæ Noricæ Senator lynceus, cujus hæc ſunt oracula, non pöetica, ſed prophetica:

O ſi grana velut Cereris coacervat arator:
Sic liceat doctos accumulare viros!

Tem-

Tempus enim veniet, quo templa, Scholæq́, forumq́,
Doctorum numerum ſunt habitura brevem.

Sed abſit malum omen. Memores potiùs illius, quod alio in argumento, Chriſti anteambulo protulit, colligamus animos. Poteſt è Jordanis ſilicibus ſaxisq́; filios Abrahæ excitare Pater omnipotens. Enimvero poteſt. Ac, niſi me fallunt omnia, efficit idem in ludorum opificinis. Siquidem tantùm non planè aberravit judicando vir ſapiens: qui, quid conferret vitæ morumq́; magiſtris poliendum tradidiſſe filium? interrogatus; ne impolitus, inquit, velut lapis ſuper lapidem, in theatro ſedeat. In Scholaſticis igitur lapicidinis ex lapidibus figurantur homines, ex quibus ſurgunt in urbibus & orbe univerſo ædium ſacrarum, non ſacrarumq́; ædificia. Verè monſtra ſunt fanorum Ægyptiacorum, quæ ornare videntur, non autem ornant, ſed onerant; qui in Didaſcaleis, ad communem uſum mundiq́; decorem, haud bene præculti ſunt. Evenit contrà, ut in ſenacula, tribunalia, roſtra, umbones, & hemicyclos domeſticos, inſiliant periti; quia parati in Pædagogiorum atriis.

Admirabile eſt meritiſſimò, quod legitur, in Regnorum Hebraicorum commentariis, omni exceptione majoribus: in Solymæi nimirum templi erectione fabrilium inſtrumentorum uſum adhibitum nullum, non terebræ, non dolabræ, non ſecuris, non aſciæ, non mallei, nec marculi. Quod quia non eſt obviæ intelligentiæ, Dæmoniaci Corani ſarcinator illaudatus Dæmonum adminiculantium operæ; Judæorum autem cerritorum cæciductores, vermiculi cujusdam prodigioſis viribus; pars Salomonis obſcuris dubiisq́; artibus, iſtud adſcripſere. Sed nos deliriis iſtiusmodi, impietatis fabuloſæ, & fabulæ impiæ, curioſitatisq́; cùm impiæ, tum fabuloſæ, damnandis, nuncium remittamus: dicamus autem, quod res eſt. Videtur, quòd omnia jam inante ita fuerint elaborata & abſoluta

ut

ut abſq́; armis adminiculantibus architectonicis facilè domus DEI cöaſſari conſtruiq́; potuerit. Quod in effectum fuiſſe datum citra organorum opem enarratur: uti ſine patre, matreq́; & omni genealogiâ exſtitiſſe, in ſacrorum myſteriorum libro aperto ſignatè perhibetur, Melchiſedecum: quem tamen iſtis haudquaquam deſtitutum fuiſſe, etſi immemorati obierint, ecquis non nobiſcum eſt perſuaſus? Veniamus autem ad propoſitum. Similiter verò, ut indicare cœpimus, in ſcholarum umbraculis, non ſine ſtrepitu, dolantur & poliuntur homunculi, ut in lucem venientes, apti Reipublicæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civili, (ubi, ubi neſcitur) facti, quid? quòd & nati derepente appareant homines. Idemq́; ipſum, quod de Schamire, animalculo ſuo, (Plinio, Geſnero, Ulyſſi Aldrovando, naturæ epoptis, inviſo inq́; audito reptili) Thalmudicorum Commentorum Babylonici Cyclopes in apricum protulere, in proclivi eſſet ad doctrinam diſciplinamq́; literariam accommodare; ſi id hîc loci curæ eſſet. Nos modò, quod potius eſt, in eam rem nervos intendemus noſtros, ut, & hac & illâ auxiliante, complures non nequeamus in ergaſterio noſtro fingere Mercurios, novo cum Gymnaſiarchâ noſtro, omnem moventes lapidem; quorum videlicet opera, Numine ſic volente, Magiſtratuq́; approbante, bene de publico merendi labori eſt mancipata. Ut autem (minimùm) linguis nobis faveant, cumulatiſſimeq́; optima quæq́; apprecentur ſic occupatis, qui bene volunt Civitati (cujus ſalute ſalus noſtrûm continetur omnium) annon multò ſit æquiſſimum, univerſorum & ſingulorum atteſtamur conſcientiam.

Mihi hoc χαῖρε expedivit præſens nuperorum Amalthei noſtri Genethliorum occaſio; cùm cœleſti voce, ex ore Civitatis Magiſtrorum, per os vicarium (quod

uti-

utinam diu inter nos audiatur ſalutare Civitatis oraculum!) manante accitus,& in locum ſuum collocatus, novus Eccleſiæ Antiſtes, & Gymnaſii noſtri Epiſtata digniſſimus. Cui, ſicuti & Camœnarum noſtrarum ſacrario, cum faſtigio ſuo, rurſus exſplendeſcenti, breviter quidem, at non obiter, adhuc ſic acclamo: FELICITER!

Plura nec inſiſto verborum texere voto:
Dictum Romanâ ſat mihi voce reor.

Erit multò ampliſſimum, cùm exclamandi, tũ acclamandi iteratò argumentum, quando, Gymnaſii noſtri natalium ſeipſe reſeminans Phœnix, ævo ſuo, advolabit; quem (ſi dierũ noſtrorum longitudo, viriumq́; ac valetudinis largitor, tot annorũ itinera in poſterũ emetiri clemens dabit profecturo ad doctas Athenas, quot bene volens conceſſit, per annos tantùm non quatuordecim, hactenus;) in-obſervatum indictumq́; non patiar ſe nobis ſubducere; ſecus, in eodem poſteris prodendo, alius eloquentia noſtram penſabit infantiam.

EXCLAMAVI.

Divulgata, Anno M DC XLIII, præcipitante, diebus Natalitiorum Servatoris ſolennia ſecutis, & exſcripta

GEDANI,

CHARACTERIBUS RHETIANIS.

VRBEM IMPELLENDI GRATIA,
NOMINVM EIDEM PROPRIORVM
STIMVLO ADMOTO;
AD PARANDAM STRENVE,
PARITER STVDIORVM OPE,
PARITER OPVM STVDIO,

MAJOREM NOMINIS CLARITVDINEM,

hæc adjecere:

DANTISCVM,
per anagramma,
SCITANDVM,

Eſt Tibi *ſcitandum*, Dantiſcum: ut, plurima noſcens,
Et ſcita evadas, inclita ſisq́; magis.

J. Mochingerus.

GEDANVM,
Per anagr.
AGENDVM.

Eſt itidem Gedanum, Tibi quicquam ſemper *agendum:*
Vt dives fias, ſic quoq́? clara magis.

S. Næranus.

DE GEMINO STVDIO,
CIRCA STVDIA ET OPES,
GEDANI CIVI COMMENDANDO,

Fortunæ ſectetur opes, & opes ſtudiorum:
Qui *Gedani* civis commodus eſſe cupit.

J. M.

74606
4.

TUBA DANICA,

Hoc est:

DISSERTATIO THEOLOGICA,

De AUREO CORNU in Cimbriâ invento, qvo, ceu tubâ clangente, Deus Opt. Max. nos, qvi Regnum Daniæ incolimus, excitat ex infelici securitatis somno, ut immensa beneficia nobis & majoribus nostris divinitus collata grati agnoscamus: nefandam verò ingratitudinem & contumaciam nostram, qvâ iram Dei horrendam ac pœnas gravissimas contraximus, serio deploremus, & culpam omnem apud ipsius tribunal per meritum Jesu Christi supplices deprecemur.

Autore

ENVALDO NICOL. RANDULFFO.
P. R.

Stadtbibliothek DANZIG

Amos 3, 6.

Num clanget tuba in civitate, & populus non expavescet?

HAUNIÆ, Anno 1644.
Typis SALOMONIS SARTORII, *Acad. Typogr.*
Impensis JOACHIMI MOLTKENII Bibliop.

BIBLIOTEKA GDAŃSKA

TUBA DANICA,

Hoc est:

DISSERTATIO THEOLOGICA,

De Aureo Cornu in Cimbriâ inven-

to, quo, cum tubâ clangente, Deus Opt. Max. nos, qui Regnum

Daniæ incolimus, excitat ex infelici fecuritatis somno, ut

immensa beneficia nobis & majoribus nostris divinitus col-

lata grati agnoscamus: detestandam vero ingratitudinem &

contumaciam nostram, qvâ iram Dei horrendam ac pœnas

gravissimas contrahimus: detestemur, & culpam

1. Corinth. 2, 4.

Οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει Πνεύματος καὶ δυνάμεως.

Amos 3, 6.

Num clanget tuba in civitate, & populus non expavescet?

HAFNIÆ, Anno 1644.

Typis SALOMONIS SARTORII, Acad. Typogr.

Impensis JOACHIMI MOLTKENII Bibliop.

Stadtbibliothek DANZIG

por. Jödicke III 1899

Serenissimo, Illustrissimo Ac Celsissimo Domino

CHRISTIANO,

Danorum & Norvegorum

Principi electo,

Domino suo clementißimo.

PRæclarum est & perpetuâ dignum observatione præceptum, *Serenissime Princeps, Domine Clementissime*, qvod tradit Ecclesiasticus cap. 39. vers. 28. *Non dicere oportet de ulla re creata: Qvid hoc sibi vult? aut qvem hoc habet usum? singula namq; ad certos usus sunt creata.* Qvomo emur, in minutissimis qvoq; rebus conspici admirabilia sapientiæ divinæ vestigia, nec qvicqvam esse tam exiguum ac pusillum, qvod non suo modo & honori Creatoris & usui hominis inserviat: Cum *non frustrà ac sine causâ qvid facere, dignum Deo sit, qvod abhorret ab hominis constantia* Cic. 2. de Divin. Id qvod evidentissimè apparet in eo, qvod nunc tractare aggrediar argumento. Ecqvid enim Cornu vilius & abjectius videri potest? utpote qvod in fronte pecoris, veluti excrementum aliqvod superfluum, succrescit, omnis vitæ, succi & sangvinis expers, Cervo etiam qvotannis decidit, nec rarò Arieti, Tauro, aliisq; cornigeris abscinditur, absq; omni vitæ periculo aut sanitatis jacturâ: Et tamen hancce rem tam levem & exiguam non frustrà esse, nec usu suo carere, hinc patet, qvod in monumentis sacris ab ipso spiritu Dei adhibetur sæpiuscule ad res plurimas & nobilissimas designandas, ut: Dan. 7, 7. 8. 20. 21. 24. cap. 8, 3. & seq. Zach. 1, 18. & seq. Apoc. 13, 1. 11. c. 17, 3. 12. &c.

Similiter de aureo Cornu, qvod jam inter Κειμήλια T. Celsitudinis asservatur, judicandum duco. Vulgus qvidem existimat, casu illud & fortuitò à puellâ rusticâ inventum, ac figuris aliqvot hominum & animalium arbitrio artificis exornatum, tanti non esse, ut in eo explicando & characteribus ejusdem evolvendis pluscu-

 lum

lum temporis ac operæ collocetur. Nos verò, qvibus cordi est monitum Ecclesiastici, longè aliter sentimus, qvin plane statuimus, DEum Opt. Max. qvi certo justoq; consilio omnia moderatur, tam rarum antiqvitatis monumentum, & qvidem hoc tempore tam mirabiliter è luto & qvisqviliis terræ erutum, non frustrà nec sine gravissimis

vissimis causis in nostrum protulisse conspectum: sed hoc etiam numerandum esse inter *opera* DOMINI *magnifica*, qvæ sapientiam, bonitatem, justitiam & virtutem ipsius commendant, ideoq; à piis omnibus diligenter & religiosè pervestiganda, Ps. 111, 2. Qvod hac in parte si planè neglexerimus, omninò metuendum est, ut ne stupor & socordia illa jure nobis imputari qveat, qvam David perstringit Ps. 92, 7. *Vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc.*

Hæc itaq; cogitatio, ut alios dudum Viros Clarissimos, non solum ex nostratibus, sed ex Italis qvoq; & Germanis impulit, ad ingenia sua in hoc subjecto laudabiliter exercenda, ita mihi etiam extorsit hoc paucarum paginarum scriptum; qvo nostris hominibus ostendo, qvomodo hoc cornu & singula ejus emblemata ductu Scripturæ sacræ considerent atq; in usum suum salutariter convertant.

Hoc autem qvicqvid est, SERENISSIME PRINCEPS, augustissimi nominis tui inscriptionem gemino jure exposcit, respectu scilicet suæ & materiæ & autoris.

Materiam si spectes, cum *Cornu aureum* Sereniss. T. Celsitudinem agnoscat Dominum & possessorem, utiq; hancce ejus sobolem in tuum qvoq; arbitrium venire ac potestatem fas est: qvo nomine hoc opusculum non ingratum Sereniss. T. Celsitudini futurum esse confido.

Autorem qvod attinet, jure non tantum illo communi, qvod Principi subditum, Domino servum, sed insuper singulari, qvod Evergetæ clientem obstringit, obstrictum Sereniss. T. Celsitudini me sentio & agnosco: ideoq; hac προσφωνήσει publicâ qvalemcunq; gratitudinem & humilimam promptitudinem meam declarare volui, modis rogans, qvibus possum, omnibus, dignetur S. T. C. hunc libellum, ceu submissæ observantiæ signum, serenâ fronte admittere, & illum non ex suo pondere, sed argumento, qvod tractat, & affectu, qvo offertur, judicare, mihiq; gratiæ & favoris sui auram porrò aspirare clementissimè. Qvod restat S. T. Celsitudinem, cum Illustrissima Conjuge ac totâ Domo Regiâ divinæ protectioni etiam atq; etiam commendo, & pro vestrâ salute atq; longævitate vota facere non desisto. Roëschildiæ 20. Octobris, 1643.

Sereniss. T. Celsitudinis

Subjectiss.

ENVALDUS NICOL. RANDULFFUS.

Do-

Doctrinâ, virtute, pietate & prudentiâ
præstantissime VIR,

Dn. M. ENVALDE NICOLAE RANDULF, in Ecclesiâ Cathedrali, qvæ Roëschildiæ est,
Pastor primarie, Canonice dignissime, & Sömmensis
Præposite meritissime, frater in Christo
cariſſime:

TUam, de aureo Serenissimi Principis, CHRISTIANI, Cornu, hieroglyphicis notis insigni, dissertationem legi: in qvâ, & tua *Pietas*, & *ingenii ἀγχίνοια*, & *in literis sacris singularis peritia*, clarè elucet.

Pietas est, eaq; Commendatione dignissima: te omnes ac singulas aurei Cornu formas atq; figuras ita interpretari, ut hominum animis affectibusq; in melius mutandis aptè inserviant. Nec novum est & insolens, aut in sacrâ, aut prophanâ historiâ, pietatem atq; bonos mores sub ejusmodi figurarum integumentis doceri, pariter & tectâ hac atq; umbratili institutionis ratione enormem vitam severius castigari. Ægyptiis hic docendi modus familiarissimus fuit. Pythagoram etiam ob hanc sapientiam omnibus admirationi fuisse qvi nescit; is, qvæ de Pythagorâ scriptis veterum prodita sunt, nescit. Platonem qvoq; ab hac docendi ratione non abhorruisse, haud negabunt, quibus lectio scriptorum Platonicorum paulò familiarior est. Taceo numismata prisca: in qvibus sapientiæ hieroglyphicæ documenta extant plura, qvàm ut facilè numerari possint. Non attingo Poëtarum scripta, in qvibus intelligendis animi sæpè caligabunt, nisi scientia hieroglyphica facem prætulerit. Qvid dicam de historiâ Prophetica, de historiâ Euangelicâ? Nam in utraq; sapientiæ hieroglyphicæ vestigia manifestissima sunt. Qvocirca qvi tuum, Vir Reverende & CL. improbare

volet conatum, tanqvam inutilem & ineptum : hic ſuam in meliore antiquitate infantiam & extremam ruditatem turpiter prodet.

Igneus verò *ingenii tui vigor* in hac commentatione non obſcurè emicat, dum nexu adeò concinno junctas mones monſtrasq; in Cornu aureo figuras hieroglyphicas, ut elegantiſſima qvædã univerſæ doctrinæ Chriſtianæ epitome hîc contineri videatur. Nam & miſeriam illam, in qvam per primorum parentum lapſum infeliciter præcipitati ſumus; & naturæ congenitam malitiam; & expeditam viam rationemq;, qvâ è tantis malis miſeriisq; tutò eluctari licet; tantá veriſimilitudine in aureo hoc Cornu inveniri oſtendis, ut qvin ad mentem ſententiamq; auctoris qvam proximè acceſſeris, vix dubitare poſſimus.

Eximium deniq; edis hoc ſcripto *ſpecimen rari profectus in ſacris monumentis*: Necenim tuam de minutiſſimis qvibusqve aurei Cornu figuris commentationem tantâ felicitate unqvã è literis ſacris confirmare potuiſſes, niſi monumenta divina non modò Vir, ſed etiam ἀπὸ ϐρέφους ſingulari induſtriâ tractaſſes: ita ut optandum eſſet inveniri in ordine ſacro longè plurimos, qvi tuam in legendis ſcriptis θεοπνεύστοις induſtriam imitarentur. Sic enim haud liceret dubitare, qvin ſacri ordinis homines officio ſuo bellè fungi poſſent, ſive veritas confirmanda, ſive veritati oppoſita falſitas confutanda eſſet.

Et hæ ſunt cauſæ, ob qvas tuam de aureo Sereniſſimi Principis Cornu Commentationem tanti facio, ut eam, & magnâ nominis tui laude, & publico bono evulgari poſſe non tâm ſperem, qvàm confidam. Vale, Vir Reverende & Doctiſſime, & qvas ad lectum Roëſchildiæ auditorium habuiſti è Cathedra ſacra in obſcuriora Prophetarũ ſcripta homilias, chartis manſuris commenda, & typographo vulgandas committe: ſic futurum eſt, ut elegantis ingenii ſtricturæ, qvæ in hoc ſcripto emicant, pleno jubare ſplendeant. Hafniæ XXVI. Octobr. Anni 1643.

Qvi te ob elegantis animi dotes amat
atq; æſtimat

Casp. Erasm. Brochmand, D.
Selandiæ Epiſcopus.

Occaſio, Summa, Scopus & Diviſio hujus Opuſculi.

INcidi nuper in tractatum Clariſſimi Viri Dn. D. Olai Wormii, de patriæ noſtræ antiqvis monumentis, qvem ut avidius cœpi percurrere, ſtatim ſe obtulit hiſtoria Cornu hujus aurei, de qvo multa qvidem fando audiveram, ſed iconem ejuſdem videre nondum contigerat. Miratus ſum ipſam operis tam rari ſtructuram, & imprimis varios in eo formatos characteres, qvi omninò myſticum aliqvid & reconditum ſapere videbantur. Qvamobrem non potui, qvin in hoc monumento, & qvidem eo loco, tempore & modo è latebris terræ eruto, agnoſcerem ſingularem Dei tempeſtivè omnia gubernantis providentiam, qvi [procul dubio] per iſtud μνημόσυνον homines noſtros rerum haud vulgarium voluit commonefacere. Qvod mihi eò certiùs perſvadeo, qvo freqventiùs in ſacris etiam literis, & cornuũ figurâ res graviſſimæ, publicũ imprimis Eccleſiæ aut Reipub. ſtatum concernentes, adumbrantur, & univerſa hujus Cornu Emblemata non modo occurrunt, ſed arcana qvoq; & hieroglyphica deſignant.

Materiam itaq; æſtimavi haud indignam, cui ulterius diſcutiendæ tempus aliqvod ſubciſivum & ſubſecundarium impenderem. *Occaſio.*

Cum autem mentem & propoſitum Dei nuſqvam vel efficaciter indagare, vel feliciter aſſeqvi liceat, niſi in verbo revelato, ad qvod ablegantur ab ipſo Salvatore, qvicunq; myſteria divina ſalutariter ſcrutari cupiunt, Johan. 5, 39. Idem & ego ſecutus conſilium, conſtitui ſcripturæ ſacræ adire penetralia, & ipſum *os Domini interrogare*: [Eſa. 30, 2.] Qvidnam ſibi velit hoc tam ſingulare antiqvitatis κειμηλίων, & de qvibus nos monere debeat ac poſſit?

Qvod ut eò fiat commodiùs, primùm in genere diſqviretur, de hujus monumenti & formâ videl: *Cornu*, & materiâ videl: *auro*, & variis notis ac figuris, qvid nimirum ſingula ſignificent apud Scriptores ſacros & θεοπνεύστους: Unde poſtmodùm promptiùs erit conjicere, qvid itidem de cornu noſtro ſentiendum, & qvænam hinc dogmata ac monita derivanda, atq; ad uſum in omni vitâ ſalutarem transferenda. *Summa.*

Neqvaqvam autem animus eſt, hac lucubratione qvicqvam detrahere aliorum eruditis in aureum Cornu Commentariis, & imprimis excellentiſſimi Dn. D. Wormii noſtri, qvi hanc glaciem primus fregit, & mihi atq; aliis anſam præbuit de tam nobili materiâ ulteriùs cogitandi. Qvoniam verò diverſis progredimur principiis, minimè mirum eſt, ſi diverſa nonnunqvam afferimus; præſertim cum hic non apodicticis argumentis, ſed ſolis nitamur conjecturis. Mihi à verbi divini tramite vel ungvem latum diſcedere religio eſt, cujus ductu hoc ago præcipuè, ut immanem illum ſtuporem ac ſecuritatis ſomnum, qvi noſtro ſeculo [proh dolor] plærosq; obruit mortalium, perſtringam, qvem ſi hæc inflata à me tuba uni ſaltem homini excutiat, voti me participem putabo. *Scopus.*

Complectar ſeqvuturam diſſertationem duabus partibus, qvarum præcipua capita ſtrictim ſignabo. *Diviſio.*

PARS PRIOR ET GENERALIS
TRIA CONTINET CAPITA.

Caput primum.

Variæ Cornu *significationes & figuræ afferuntur.*

SECT. 1.
Rabbinorum commenta de gentis Judaicæ decem cornibus. fol. 1.
SECT. 2.
Notiones Cornu qvoad materiam. fol. 2.
SECT. 3.
Significationes Cornu secundum figuram. fol. 2.
SECT. 4.
Qvid Cornu denotet juxta utramq; & materiam & formam seu figuram. fol. 3.
SECT. 5.
Acceptiones Cornu ratione situs. fol. 3.
SECT. 6.
Qvomodo Cornu usurpetur respectu usus, qvem præbet, hærens adhuc in capite animalis. fol. 4.
SECT. 7.
Qvid Cornu designet respectu usus, qvem habet jam resectum & amputatum. fol. 8.

Caput secundum

Promuntur Auri *hieroglyphica.*

SECT. 1.
Qvare *Aurum* metallorum sit pretiosissimum. fol. 9.
SECT. 2.
Qvomodo Scriptura *Auri* pretiositatem monstret comparativè. fol. 10.
SECT. 3.
Qvomodo pretiositas *Auri* exprimatur appellativè. fol. 10.

Caput tertium.

Præcipua Emblemata, in hoc Cornu contenta, eorumq; notiones ex monumentis divinis eruuntur, ut:

1. Serpens. fol. 11.
2. Nuditas. fol. 15.
3. Indumentum. fol. 16.
4. Bestia humana seu homo bestialis. fol. 16.
5. Piscis. fol. 18.
6. Vultur & Milvus. fol. 21.
7. Eqves. fol. 22.
8. Virga & Baculus. fol. 26.
9. Gladius & Arcus. fol. 28.
10. Securis. fol. 29.
11. Funis. fol. 30.
12. Speculum. fol. 32.
13. Stella. fol. 33.
14. Lilium. fol. 34.
15. Vermis. fol. 35.
16. Ossa nuda. fol. 35.
17. Cor. fol. 36.
18. Numerus Novenarius. fol. 37.

PARS POSTERIOR ET SPECIALIS
DUOBUS ABSOLVITUR CAPITIBUS.

Caput primum.

In qvem finem & usum, item qvo tempore, & qvo Autore fabricatum sit hoc cornu, & qvid singula ejus Emblemata præ se ferant.

SECT. 1.
De scopo & fine Emblematum, qvæ in Cornu nostro apparent. fol. 41.
SECT. 2.
Omnes hujus Cornu Circuli strictim & summatim delineantur. fol. 42.
SECT. 3.
Enodantur Emblemata, qvæ extant in primi circuli priori serie. fol. 43.
SECT. 4.
Exponuntur Emblemata, qvæ emicant in ejusdem circuli altera serie. fol. 47.
SECT. 5.
Enucleantur Emblemata Circuli secundi. fol. 52.
SECT. 6.
Explicantur Emblemata Circuli tertii. fol. 54.
SECT. 7.
Expediuntur Emblemata Circuli qvarti. fol. 59.
SECT. 8.
Explanantur Emblemata Circuli qvinti. fol. 60.
SECT. 9.
Promuntur Emblemata Circuli sexti. fol. 61.

SECT.

SECT. 10.
Discutiuntur Emblemata Circuli septimi. fol. 61.
SECT. 11.
Indicantur universalia qvædam in diversis Circulis observanda. fol. 63.
SECT. 12.
De ætate hujus Cornu. fol. 64.
SECT. 13.
De Autore ejusdem. fol. 65.
SECT. 14.
De usu ejusdem. fol. 67.

Caput alterum.

In qvem finem & usum hoc tempore è latebris protractum sit cornu nostrum, & qvid Deus per illud nobis suggerat atq; inculcet.

SECT. 1.

Enumerantur præcipua Dei beneficia, Danis in hunc usq; diem exhibita, & imagine hujus Cornu adumbrata, ut:
1. Regni Danici vetustas. fol. 68.
2. Regum Daniæ continua series & successio. fol. 69.
3. Danorum antiqva Virtus, & in exteris debellandis felicitas. fol. 72.
4. Singularis Dei tutela adversus tria Germanorum Cornua; qvæ imperium Danicum evertere, & imprimis Cimbricam Chersonesum conterere neqvicqvam tentârunt. fol. 74.
5. Terræ Danicæ fœcunditas. fol. 77.
6. Sacrosancti Evangelii revelatio. fol. 78.

SECT. 2.

Qvomodo hoc cornu accuset nefandam nostram ac stupendam erga Deum beneficum contumaciam atqve ingratitudinem. fol. 83.

SECT. 3.

Qvomodo hoc Cornu denunciet imminentes pœnas & calamitates gravissimas. fol. 86.

SECT. 4.

Qvomodo Cornu nostrum ostendat rationem effugiendi hæc mala. fol. 91.

Cum

Cum historia inventi Cornu nonnulla contineat memoratu dignissima, qvorum accurata consideratio huic dissertationi non parùm lucis affundere posset; operæ pretium duxi, eandem qvoq;, qvemadmodum à Dn. D. Wormio enarratur, huc translatam in ipso vestibulo exhibere.

CORNU AUREI
inventi Historia,
recensente
D. OLAO VVORMIO.

ANNO 1639. regnante in Dania CHRISTIANO QVARTO, Daniæ, Norvegiæ, &c. Rege augustissimo, mensis Julij die XX puella qvædam Dana Christina Svenonis filia nomine, pagi Osterby distantis à Mageltundero Diœcesis Ripensis oppido, vix dimidio milliari, eo itura, in itinere in Cornu hoc aureum, casu incidit. Qvod cum annosæ arboris prominentem existimaret radicem [cœno enim & luto undiq; obsitum erat, qvod se in conspectum dedit] baculo qvem manibus tum gestabat, qvid rei esset, qvod hic gressum moraretur, pertentare cepit. Sed cum hoc medio, nil se detegeret, qvod animum pelliceret, nullius precij radicem esse autumans, iter suum persequendo, intactum illud reliqvit. Octiduo elapso rursus Osterbya Meltunderam tendens, duabus aliis comitata ancillis, qvæ ad pagum Galhusam nomine, non procul inde distantem, proficiscebantur, iterato in bivio in idem impegit cornu. Qvod cum diligentius aliqvanto, non sine indignatione lustrasset, rarum qvid, nec radicis propaginem esse animadvertit. Qvia vero baculi tum destituebatur adminiculo, digitis terram fodere incipit, magnoq; conatu obvium eruere. Dum ita operi intenta esset, pergunt in itinere reliqvæ; non prius tamen destitit, qvam totum vi summa erutum, manibus teneret. Aliqvousq; progressas comites, in altera bivii semita Galhusam tendente, mox læta acclamavit, se sisterent, aut accelerarent, visum qvid rari offenderit. Erutam simul tractantes prædam, nil aliud, qvàm cascum venatorium cornu esse concludebant, qvod tanqvam inutile, nullius q; momenti, ut abjiceret, hortabantur. At illa; qvia tanto mihi constitit labore, ad urbem ferre non recusabo. Progressa ulterius, in aqvæ dulcis incidit rivum, cujus latice erutum cornu abluere, & à cœni & luti qvisqviliis, qvibus obductum erat, purgare cepit. Tum commune cornu venatorius usibus deputatum esse ut crederet, ei disvadebat & operis moles, & pondus, & metalli, paulatim detectæ micantes striæ. Hinc animosior facta, omnino [disvadentibus comitibus ob ponderis & gravitatis molem, onus sarcinæ qvam gestabat, duplicaturam] in oppidum secum deferendum decrevit. Culeo igitur inclusum Tunderam detulit. Sed qvia ex ære confectum putabat, tunc temporis nemini examinandum tradidit. Domum reversa, reliqvis ejusdem familiæ ostendit; qvi stultitiam & temeritatem puellæ increpabant, qvod in re nauci, tantum posueris operæ. At illa, seqventi die, ulterius poliendo cornu incubuit; in qvo dum occupatur impensius, intervenere viri duo, de conatu interrogantes, qvibus respondit, se invenum heri cornu mundare, ut ex qvo constet metallo commodius explorare posset. Illi opus aliqvantulum lustrantes, Tubicinem qvendam hoc olim usum fuisse, regerebant, eamq; rem sibi commodam facturam, si talis rursum venderet professionis homini. Puella in errore eos versari arguebat, ex eo, qvod tot constaret partibus [dum enim violenter è terra illud evellebat, annulos qvosdam ex iis, qvibus interior cingitur lamina, à reliqvo corpore extraxit] Tunderam se rursum ituram asserens, ut certius de usu

&

AUREUM
Serenissimi Principis
CHRISTIANI QUINTI
COR NU,



DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ DE CORNU DANICO

Pars Prima & Generalis.

Caput Primum

De variis *Cornu* significationibus & figuris.

Sectio I.

Rabbinorum commenta de gentis Judaicæ decem cornibus.

PEtrus Galatinus lib. 9. de arcan. cathol. Veritatis cap. 14. ex traditione Rabbinorum decem recenset *cornua*, Judæis qvondam divinitùs concessa, sed postmodum iisdem tanqvàm ingratis possessoribus ablata, & ad Ethnicos Messiam recepturos translata.

Primum cornu fuit *Abrahæ* de qvo dictum est Esa. 5. *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei.* Secundum cornu *Isaac*, de qvo scriptum est Gen. 22. *Et ecce aries unus retentus in densitate per cornua sua.* Tertium cornu *Joseph*, id est cornu Regni de qvo dicitur Deut. 24. *Et cornua rhinozerotis cornua ejus.* Qvartum cornu *Mosis*, de qvo Exod. 34. *Qvia cornuta erat cutis faciei ejus.* Qvintum cornu *prophetiæ*, de qvo 1. Reg. 1. *Et oravit Hanna, & dixit: Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum.* Sextum Cornu *Legis*, de qvo Hab. 3. *Et duo cornua de materia ejus ei.* Septimum Cornu *Sacerdotij*, de qvo Psal. III. *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Octavum Cornu *Levitarum*, de qvo 1. Par. 25. *Omnes isti filij Heman videntis Regem in verbis Dei, ad exaltandum Cornu.* Nonum Cornu *Jerusalem*, de qvo Psal. 72. *Et à cornibus unicornium exaudisti me.* Decimum Cornu *Regis* Messiæ, de qvo 1. Reg. 2. *Et dabit fortitudinem Regi suo, & sublimabit cornu Messiæ sui.* Et sic dicit Psal. 132. *Ibi germinare faciam cornu David, paravi lucernam Messiæ meo.* Qvando autem peccavit Israel, ablata fuerunt ei cornua hæc, & data gentibus seculi, sicut dictum est Dan. 7. *Post videns fui in visione noctis, & ecce bestia qvarta terribilis atq; mirabilis, & fortis nimis, & dentes ferreos habebat magnos, comedit & comminuit, & residuum pedibus suis conculcavit. Et ipsa dissimilis ab omnibus bestiis, qvæ fuerunt ante ipsam, & cornua decem habebat.* Assimilatæ enim sunt gentes seculi, hujusmodi feris.

Omni autem tempore, qvo cornua gentium seculi sana fuerint, cornua Israel confracta erunt, sicut dictum est Thren. 2. *Confregit in ira furoris omne cornu Israel.* Hactenus traditio Rabbinorum, citante Galatino; qvi pluscula quidem scripturæ adscisc unt loca, sed pleraq; miserè depravant, & ad sensum planè alienum detorqvent. Id qvod cuivis palpare obvium erit, & ulterius patescet ex iisdem locis infrà accuratius discutiendis, proinde non est, qvod hisce nunc refellendis immoremur.

SECT. 2.

Notiones Cornu, *qvoad materiam.*

MIssa igitur omni circuitione, properamus rectà ad codicem sacrum, qvi qvamplurima continet oracula, de rebus variis & diversis titulo cornuum insignitis, in qvibus enumerandis atq; enucleandis nè ἀπαξία aut confusione obruamur, redigemus omnia in certas aliqvot classes. Nam *cornu* prout diversis modis consideratur, ita diversis etiam rebus diversô respectu competenter applicatur. Potest autem considerari vel secundum *materiam*, vel *formam*, vel *situm*, vel *usum*.

Potentia. Materia *cornu* solida atq; dura est, hinc freqventissimè robur denotat & potentiam, ut Amos 6,13. ita describitur vox arrogans Israelitarum, insolescentium victoriis aliqvot contra hostes, & veterum terminorum restitutione. *Numqvid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* hoc est, tantas nobis virtute nostra vires acqvisivimus, potentiam comparavimus, ut nullum amplius hostem metuamus. Eodem modo intelligenda esse existimo hæc loca Ezech.29,21. Ps.75,11. Ps.89,18. Ps.148,14. Thren.2,17. &c. Huc etiam spectat imprimis locus ille Apoc.5,6. Ubi Christo agno Dei occiso & redivivo assignentur *septem cornua* ob infinitam potentiam [Matth.28,18.] ut & *septem oculi* ob immensam sapientiam. [Coll.2,3.]

Omnipotentia Dei.

SECT. 3.

Significationes Cornu *secundum figuram.*

Tigilla Altaris. FIgura *Cornu* tortuosa est & pyramidalis, unde hoc nomine appellabantur qvatuor illa Tigilla seu columnulæ, qvæ sursum egrediebantur ex Altaris qvatuor angulis Exod.27,2. Lev. 8,15. Psal.118,27. Jer.17,1. Amos .3,14. Apoc. 9,13. &c.

Acies exercitus. Exercitus etiam ad prælium instructus, dextrum & sinistrum *Cornu* habere dicitur, ob binas aciei partes, qvas ab utroq; latere, ut cornua acuta, extendit. Hinc dux Nicanor ita exercitum suum ordinasse perhibetur, ut eqvitatus esset κατὰ κέρας disposítus 2.Mac.15,20. Et Nicanore cum exercitu deleto, Demetrius alios duces misisse in Judæam dicitur cum *dextro cornu*, hoc est, electissimis militibus in dextrâ acie pugnare solitis, 1.Mac.9,1.

Sunt qvi *Judæam* hac ratione etiam *Cornu* vocari putent Esa. 5,1. qvod situs ejus speciem *cornu* referat, autore Forerio: sed meam de hac appellatione sententiam posteà promam. Anné etiam particula illa Selandiæ nostræ, qvæ vergit ad Favonium, cornu instar in mari promineat, hincq; sortita nomen Hornsherret / ac si diceres provinciam cornutam, discipiendum aliis relinqvo.

SECT.

SECTIO 4.

Qvid Cornu *denotet juxta utramq; & materiam & formam seu figuram.*

Tuba. AD utramq; classem jam à nobis indigitatam referri potest *tuba*, certum scilicet instrumentum musicum, qvod hoc nomine interdum donatur, partim, qvia figurâ cornu imitatur, licet ex aliâ constet materiâ; uti liqvet in hoc aureo *cornu* Serenissimi Principis nostri; Cujus generis *cornu* illud fuisse reor, qvod simul cum aliis instrumentis musicis insonuit, in consecratione statuæ illius aureæ â Nabuchodonosore erectæ, ita qvidem dictum ob externam formam, materiam verò aurum vel aliud pretiosum metallum fuisse probabile est, qvia hæc statuæ illius dedicatio maxima cum pompa, splendore, & majestate peragebatur Dan.3,5.7.10.15. Partim qvia materiam cornu simul participat, uti patet Jos.6,4. Ubi buccina illa, ad cujus clangorem collapsi sunt Jerichuntis muri, nominatur קרן היובל *cornu arietum*, non tantum qvia fuit una ex septem illis, qvibus inflatis Sacerdotes annum Jubilæum promulgare solebant, Levit.25,9. qvod innuit versio vulgata, ita circumscribens & hanc & sex reliqvas tubas, v.3. *qvarum usus est in Jubilæo.* Et LXX. in genere nuncupant σάλπιγας ἱερὰς *tubas sacras:* verum hicce titulus nusqvam occurrit in textu Mosaico, ubi tuba illa non arietum dicitur sed תרועה *jubilationis*, seu *vociferationis* Levit. 25, 8. confer Num.10.5,6,9. Unum tamen favet huic expositioni, qvod initium anni Jubilæi semper incidebat in festum propitiationis, ita ut clangerent hac buccinâ ipsô die festivo, qvo summus Pontifex præterduos illos hircos, alterum Deo immolatum, alterum cum peccatis populi solenniter sibi impositis in deserta ablegatũ, etiam arietem offerebat in holocaustum suum ac populi Lev.16.3,5,24. Idq; ex sententiâ Lyræ in memoriam arietis qvondam pro Isaaco immolati. Sed hæc ratio admodùm vacillat, ut omninò statuam fuisse tubam illam verum cornu & qvidem arietinum qvod nec improbatur B. Hieronymo, qvi in Gen. c.22 cornu clanxisse Judæos putat in signum Arietis, qvem vidit olim Abraham cornibus hærentem inter vepres, & loco filii Isaaci immolavit, Genes. 22,13. Qvo D. Augustinus lib.16. de Civit. Dei, cap. 32. præfigurari vult Redemptorem *Jesum Christum*, qvi spineâ in capite coronâ fuit redimitus, anteqvam in arâ crucis sese offerret Patri in holocaustum Matth.27,29. Easdem qvoq; fuisse buccinas verisimile est, qvibus qvondam clangentes Gideonis milites Madianitarum turbarunt castra, qvò procul dubio respicientes LXX. eas à materiâ vocant κερατίνας, *corneas*, Jud.7.8.20,22.

SECT. 5.

Acceptiones Cornu *ratione situs.*

SItum cornuum qvod attinet, in capite, suprema videlicet parte animalis & eminent, & in altum qvasi assurgunt, unde *aëria cornua* dicuntur ab Ovid. lib. 5. fast. Qvin etiam caput Cervi, tauri, arietis non parùm condecorant, & regiæ instar coronæ exornant. Qvô spectat illud: Deut.33, 17. *Qvasi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Hinc non paucæ oriuntur significationes, qvarum præcipuas libabimus.

Hoc respectu denotat *Cornu* superbiam, animi elationem & jactantiam.

Insolentia. Homines enim ambitiosi & arrogantes, qvi fastu tument[Pſ.37,35.Pſ.73,7.]& ſuis divitiis,honoribus,potentiâ,eruditione,&c. inſoleſcunt, *cornu ſuum* dicuntur *attollere in altum* Pſ.75,5,6. Et Latinis cornua ſumere eſt ſuperbire, ſecundum illud Ovidii: *Tunc pauper cornua ſumit.*

2. Gloria. Nomine *cornu* indigitatur pulchritudo,decus,gloria,dignitas.Sic ſplendor ille qvi radiabat in facieMoſis,redeuntis à colloqvio cum Jehova,in monte Sinai habito,titulo *Cornu* inſignitur,Exod.34,29.30. A Paulo autem δόξα vocatur,2.Cor.3,7. Et Jobus filiæ ſuæ pulcherrimè à *Cornu* nomen indidit

Pulchritudo. קרן הפוך c.42,14. De homine benigno & liberali in pauperes dicitur Pſ.112,9. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*,hoc eſt, & hîc ab omnibus bonis celebrabitur, & ibi gloriâ cœleſti & æternâ ornabitur. In hac ſignificatione reperitur *Cornu*,Job.16,15. 1.Sam.2,1.10. Sir.47,15, cap.49,7. &c.

3. Regnum, Reges. Regia majeſtas. Eodem reſpectu *cornu* etiam deſignat regnum Dan. 7,7. & ſeq. cap. 8,3. Item Reges & Principes Apoc.17,12 16. Dan.7,24. Nec non eorum majeſtatem atq; imperandi poteſtatem 1.Mac. 2, 48. Qvam ob cauſam Reges olim geſtabant *cornua*,ut Symbolum Regiæ dignitatis. Qvod Plutarchus de Pyrrho affirmans: *Agnitus*,inqvit,*fuit ipſe eximiâ criſtâ & cornibus hircinis*. Virgilius itidem Æneæ tanqvam Regi tribuit:

Enſemq; clypeumq; & rubræ cornua criſtæ. Lib.12.Æneid.

Unde PerſarumMonarchia depingitur imagine arietis duobus cornibus conſpicua,Dan. 8,4. Et Græcorũ Imperator deſignatur ſpecie hirci,inſigne inter oculos cornu geſtantis,ib.v.5. Hùc referendum,qvod Val.Max.libr.5. cap.539. commemorat de GenitioCippo,prætore Romano,cum in capite ejus portam egredientis ſubitò veluti cornua emergerent,reſponſum eſt ab oraculo, eum Regem fore,ſi in urbem revertiſſet: Qvod nè accideret,voluntarium ac perpetuum ſibimet indixit exilium. Hodiè etiam illuſtriſſimi Ducatus Megapolitani Inſignia caput exhibent tauri cornigerum.Qvid? qvod cornua appareant, ceu Symbolum & indicium divinæ Majeſtatis ac Omnipotentiæ,Hab.3,4.

Divina majeſtas.

SECT. 6.

Qvomodo Cornu *uſurpetur reſpectu uſus,qvem præbet, hærens adhuc in capite animalis.*

USus cornuum dupliciter ſpectatur, vel ut eminent adhuc in capite animalis,vel ut reſecta jam ſunt & ſeparata. In fronte pecoris hærentia cornua duplici inſerviunt uſui: faciunt enim & ad defenſionem & ad offenſionem.

1. Qvemadmodum Taurus aut cervus oppugnantium ictus,robore cornuum exceptos,à corpore avertit; Ita cornuum nomine venire poſſunt,qvæcunqve adhiberi ſolent,ad hoſtium,& imprimis publicorum, impetus & inſultus ſtinendos atq; impediendos: in qvorum cenſu præcipuè numeramus arces & urbes munitas. Hinc illud ænigma [cujus meminit Strabo] Demetrii Phalerii ad Regem Macedoniæ Philippum: *Utrog; cornu bovem continebis*; indicans Pelo ponneſum eſſe inſtar bovis, qvi debellari neqvit, niſi utrumq; cornu,binæ illæ arces,*Acrocorinthus* & *Ithome* prius capiantur. Eadem ratione tutiſſima Dei defenſio & tutela, qvæ aliàs comparatur *turri* Prov.18,10. *Petræ*, Pſ.31,4. Pſ.71,3. *arci* Pſ.144,2. *munitioni* Nah.1,7. *muro igneo* Zach.2,5.&c. *Cornu* etiam nuncupatur Pſ.18,3. 2.Sam.22,3.

Tutela Divina.

Cornua

Cornua ſunt arma taurorum,arietum,unicornium, &c. offenſiva, qvibus non modò in hoſtem pugnare ſolent,juxta illud Virgilii 2. Georg. 2.

Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi.

Sed interdum etiam obvium qvemvis proſternunt atq; conculcant,vid.Exod. 21, 28. Cornu igitur hoc reſpectu primũ ſignificat vim & violentiam, uti cernere eſt Ezech.34,21. Ubi tyrannis & ferocia *pecorum pingvium*,hoc eſt, hominum potentiorum *in pecora macilenta*,h.e. homines pauperes ac debiles,ita deſcribitur: *Lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foràs*. Huc tendit ſuſpirium Davidis, vel potius ipſius Chriſti Pſ.22,22. *Eripe me à cornibus unicornium*, h.e. à furore & violentia Tyrannorum. Et vernaculæ noſtræ familiaris eſt hæc locutio de iis,qvibus alios violenter petere ac lædere volupe eſt: Hand haffuer altid Horn i Siden paa hannem. Qvæ fortaſſis etiam cauſa eſt, cur immani illi beſtiæ Apoc.13,1. *decem* tribuantur *cornua*,ob inſignem videlicet graſſandi ſævitiam, & atrociſſimam contra pios perſecutionem. Violentiam

Deinde vocula *Cornu* notat ipſum bellum, utpotè omnia ſæva, injuſta violenta ſecum trahens,leges verò & æqvitatem planè peſſundans. Sic *cornua gentium*,h.e.hoſtes ferociſſimi[uti jam explicabimus]dicuntur *levaſſe cornu ſuper terram Juda, ut diſpergerent eam*,Zach.1,21. h. e. graviſſimũ Judæis intuliſſe bellum,ut rurſum ejectos è patria in varias orbis partes diſſeminarent. Hinc qvoq; Romani olim populo cuiqvam bellum illaturi, arietem per fœcialem in hoſtium fines immittebant,qvi eos qvaſi cornibus impeteret & arietaret. Bellum.

Porro nomine etiam *Cornu* haud ineptè exprimuntur media illa,qvibus bellum geritur & oppoſitæ hoſtium vires atteruntur: in qvorum cenſu ſingulariter reputo milites acres & generoſos, qvorum imprimis operâ & fortitudine ſuperantur hoſtes,reportatur victoria. Hinc de tribu Ephraim ob Reges bellicoſiſſimos & viros fortiſſimos ex illâ oriundos perhibetMoſesDeut.33,17. *Erunt cornua illius cornua unicornis*(qvæ reliqvorum animalium cornua robore & ſoliditate longè ſuperant) *in ipſis* (cornibus)*ventilabit* (in fugam conjiciet & profligabit *gentes*(vicinos hoſtes)*uſq; ad terminos terræ*(Judaicæ.) Ubi *Cornua* non de turribus,arcibus,munimentis,aut rebus aliis fixis, qvæ hoſtibus opponi ſolent,ſed de robuſtâ militum manu eoſdem non modò vincentium,verùm etiam uſq; ad terræ ſeu Regni pomœria propellentium & perſeqventium, accipienda eſſe,nemo non videt. Unde è veſtigio adjicitur: *Hæ ſunt multitudines Ephraim,& hæc millia Manaſſe*,hoc eſt,ex tot tantisq; victoriis conſtabit,binas iſtas tribus,ſibi invicem affines,ſimulq; à Joſepho deſcendentes,eſſe populoſiſſimas,ac feraciſſimas fortium virorum,qvi egregiam in propulſandis hoſtibus patriæ navabunt operam. Milites. Deut.33,17.

Atq; hic locus accuratè explanatus oſtendit qvoq; verba illa Davidis: *Exaltabitur, ſicut unicornis,cornu meum*,Pſ.92,11. commodiſſimè exponi de exercitus Davidici proſpero & felici in hoſtes progreſſu: Qvod ſimul comprobat & verſiculus proximè præcedens hoſtibus Eccleſiæ diſſipationem atq; interitum annuncians; & Siracides cap.47, 9. De Davide inqviens: *Contrivit undiq; hoſtes,& Philiſtinos adverſarios ſuos delevit, contrivit cornu eorum* (potentiſſimum exercitum) *uſq; in hodiernum diem*, ut videlicet non reſtent illis milites,qvibus opprimere aut infeſtare Iſraelitas amplius poſſint. Reſpicere videtur ad ea qvæ extant 2.Sam.8,1. & 1.Par.19,1. ubi Davidis inſignis victoria de Philiſtinis parta deſcribitur: qvâ illis non modò eripuit dominium,qvod Pſal. 92, 11. Sir.47,9.

habuerant in urbem Gath & vicina oppida, sed ipsorum vires, deleto exercitu, ita proculcavit, ut postea non auderent arma sumere aut mutire adversus Israelitas. Qvod ipsa historia sacra luculenter confirmat. Nam antea *Philistini* tanqvam hostes capitales & infensissimi sæpius populum Dei afflixerunt gravissimè Jud.10,7.8. c.14,4. 1.Sam.4,2.10. c.31,1. & seq. 1.Par.10,1. & seq. Post istâ verò acceptam cladem à longo tempore nihil magni ab illis tentatũ legimus.

Jer. 48, 25. Eodem modo explicandum arbitror illud Jer. 48, 25. *Abscissum est Cornu Moab, & brachium ejus contritum est.* Qvod enim homini brachium, tauro cornu, id regno est validus & bene instructus exercitus, qvod qvemadmodum de alterâ metaphorâ *Brachij* liqvidum est ex 2.Par.32,8. Ezech.30,24. Ps.44,4. Ita hîc constat de figurâ *cornu* ex iis, qvæ præmittuntur de militibus Moabiticis, fortibus qvidẽ & bellicosis v.14. & tandem trucidatis v.15. de universo eorundem exercitu in fugam verso, v.19. imo instar virgæ fortis & baculi glorioſi,

Psal.44,6. confracto, v.17. Huc etiam facit locus ille Ps.44,6. Ubi exercitus victoriosus hostes suos cædens ac profligans dicitur eos *cornu ventilare*: Qva phrasi alludere videtur Psalmista ad partes aciei ab utroq; latere tanqvam cornua prominentes atq; in hostem se profundentes, de qvibus actum est superiùs.

Thren.2, 3. Ex hisce elicitur etiam verus & genuinus sensus qverelæ Thren.2,3. *Confregit* (Dominus) *in irâ furoris omne cornu Israel.* In qvo loco exponendo admodùm variant Interpretes. Qvi hic accipiunt τὸ *Cornu* vel de ipso regno, vel de principibus, cornuum instar, in regno eminentibus, vel de gloriâ & dignitate gentis Judaicę, vel de munitionibus & propugnaculis, Jeremiæ inanem qvandam affingunt tautologiam: siqvidem hæc omnia singulatim persecutus fuerat in utroq; versu proximè anteeunte. Ostenderat *gloriam Israelis projectam cœlitùs in terram*, v.1. *Munitiones* ejusdem *destructas* atq; funditus dirutas, nec non ipsum *Regnum & principes ejus pollutos*, v.2. Qvi autem omnes istas explicationes simul complexi, in genere interpretantur *Omne Cornu* de universo Judæorum robore, potentiâ & viribus, qvibus resistere hosti suo possent, menti & methodo Prophetæ planè adversantur, utpote cui constitutum est, in hoc priori hujus capitis membro Judæorum acceptas clades distinctè & particulatim enumerare, ideoq; hisce etiam verbis certam mali speciem seu singularem aliqvam stragem notari censeo, & qvidem militum Judaicorum sive delectionem sive enervationem.

Postqvam enim Jeremias in versiculo præcedente cõmemoravit diversas Judæorũ & privatas & publicas calamitates, in hoc & seqventi versu modũ & occasionem earundem subjicit, nempe militis Judaici stragem, & hostis victoriam. Qværi meritò posset, cum regnum Judaicum fuerit populosissimum & plenum virorum, cur non illi viros se præstiterint, cur non pro patriâ, focis & aris fortiter decertârint? cur non munitiones urbis suæ turati, Regis regniqve incolumitatem asseruerint? Respondet Propheta: *Confregit* (Dominus) *omne Cornu Israel*, h. e. universam Judæorum Juventutem jam enervatam, omniq; exutam virtute, Chaldęis cædendam propinavit, animos interim ac vires hostibus addendo, ut, tanqvam cornua ferrea obvium qvodvis contunderent, vid. 2.Reg.25,5. Qvod Deus effectum dedit & privativè, *dextram suam retrovertendo à facie inimici*, h.e. auxilium & opem suam consvetam Judęis subtrahendo, v.3. & positivè, *arcum suum tendendo, & dextram suam more hostis firmando*, h.e. tela & ictus hostium in ipsos dirigendo ac promovendo, v. 4. Unde duplex resultavit effectus: alter apud exercitum Chaldaicum, qvi ex Judęorum clade, suoq; felici successu spiritus atq; vires sumens, *exarsit in ignem flammantem*,

mantem, scintillas sævitiæ ac truculentiæ suæ undiq; projicientem & obvia qvævis devorantem v. 3. Confer Jer. 21,14. Joel. 2, 3. alter apud Judæos, cædes nimirum filiorum [qvi sicuti *cornua* vocantur ob robur & virtutem ita מחמד עין *desiderium oculi* seu *desiderabiles visu* salutantur ob elegantiam formæ & florentem ætatem vid. Sir.30,5. Prov.17,16. Ps.127,4.5.] & *tabernaculi filiæ Sion*, hoc est, templi & universæ urbis *conflagratio* v. 4. confer Amos 2, 5. 2.Reg.25,9. Duplex autem clades ista alia qvoq; plurima & tristissima mala secum traxit, qvæ in seqventibus à Jeremiâ ordine exponuntur.

Manet igitur qvod titulo *Cornu* freqventer insigniantur Milites & præsertim totum ipsorum agmen seu exercitus, hac tamen differentiâ, ut milites acres & animosi, qvi vim hostium non modo sustinere, sed etiam propulsare valent, sint qvasi cornua firma, valida, invicta, qvalia sunt *unicornis* Deuter. 33,17. vel qvæ fabricantur ex ferro aut ære. Hinc Deus se populum suum robore & viribus instructurum, qvibus hostes doment ac profligant, pollicitus, inqvit: *Cornu tuum ponam ferreum & ungulas tuas æreas & comminues populos multos*, Mich.4,13. Et Sedechias Pseudopropheta Regi Achabo ejusqve exercitui felicem adversus Syrios progressum ac certam spondens victoriam *cornua* sibi *ferrea* paravit, qvibus vim ac robur militis Achabici conferre non dubitavit, 1.Reg.22,11. 2.Paral. 18,10.

Econtrariò cum Deus viros fortes enervaverit, omnibus animi corporisq; viribus debilitatis, ut Damâ fugaciores fiant, qvorum anteà virtus sæpè in maximis periculis spectata fuerat Esa.13,7. cap.30,17. Jer. 46, 5. cap. 51, 30. Amos 2,14.16. Nah.3,13. &c. Jam totum ipsorum agmen & numerosus etiam exercitus æstimatur qvasi cornu flaccidum & debile armis hostium facilè certoq; conterendum Ps. 75,11. Sir.47,9. Dan.8,7.8. cap.7,8.

Deus hostium frangit cornua.

Clarissime elucet hoc ipsum Zach.1.v.18,19,20,21. Ubi Propheta *qvatuor* cernit *cornua*, qvibus, ipso Angelo interprete, adumbrantur gentes vicinæ & circumjacentes, qvæ à qvatuor mundi cardinibus Judæos infestabant: Ab altera verò parte conspiciuntur *qvatuor fabri*, instructi malleis & securibus, ut cornua ista noxia confringant atq; exscindant. Qva visione docemur, Deo nunqvam deesse media, qvibus cornua etiam firmissima frangat, hoc est, ferociam hostium retundat, & vires antea indomitas qvasi incude malleis comminuat. Unde hostibus oppressis, adversarius exercitus dicitur tanqvam *Cornu Unicornis ex altari* Ps.92. 10,11. Ps. 89. 24, 25. Qvantum erat cornu exercitus Assyriacus ad mœnia Hierusolymæ, qvam celeriter autem truncatum & contritum 1. Regmu 19, 35. Esa. 37, 36. Qvalenam cornu fuit Pharao cum suis curribus & eqvitibus, sed qvàm inopinatò amputatum & in profundo rubri maris demersum Exod. 14. 27, 28. Hinc Rex Babylonicus ob fortissimas gentes ab ipso devictas, potentissimos exercitus deletos vocatur *malleus universæ terræ*, à Persis autem fractus & conqvassatus Jer.50,23.

Imò veluti tauri feroces inter se decertantes; non rarò cornua ipsi invicem sibi confringunt: Sic Deus nonnunqvam ipsa hostium cornua inter se committere solet, ut in se invicem sæviant, donec alterum ab altero destruatur. Patet hoc in historiis Jud. 7, 22. 2. Paral. 20. 22, 23. &c. Item in successoribus Alexandri Macedonis, qvi inter se commissi mutuis bellis & lanienis tandem conciderunt. Cujus generis exempla nostro etiam seculo non pauca vidimus.

SECT.

P·A·N BIBLIOTEKA GDAŃSKA

SECT. 7.

Qvid Cornu *designet respectu usus, qvem habet jam resectum & amputatum.*

ATq; hæ significationes nascuntur ex usu cornuum, qvatenus infixa sunt adhuc animalium frontibus: adempta verò jam & exsecta cornua variis etiam usibus inservire possunt, in qvibus indagandis multus est Dn. D. WORMIUS. Monumenta sacra, qvod sciam, duplicem tantum exprimunt usum *cornu* truncati. Prior est, qvod vices tubæ seu buccinæ sustinuit & in bellis & in sacrificiis, uti superius ostensum. Alter qvod in vase corneo asservatum fuit *oleum* illud *sacrum* & pretiosum, qvô Reges qvondam Israelitarum inungebantur 1.Sam.16,13. 1.Reg.1,39. Unde *cornu olei* sacri hoc vas meritò appellari potuit. Qvem etiam titulum participat terra
Judæa. Judaica, à Vate Esaiâ *Cornu filius olei* nuncupata cap.5,1. Idq; [ut mihi qvidem videtur] ob summam hujus terræ fertilitatem, & olei ibidem provenientis abundantiam, ut esset Judæa qvasi *cornu* fragrantissimi *olei* copia jugiter exuberans Deut.8,8. cap.33,24. Jer.31,12. Hos.2.5,8,21. cap.12,2. Psal.104, 15. 1. Reg. 5, 11. Job. 29, 6.

Porro cum *Oleum* in sacrâ paginâ freqventer denotet *lætitiam*, Psal.23,5. Esa.61,3. Eccles.9,8. *Gratiam spiritus sancti* Ps. 45,8. Ps.89,21. Heb.1,9. *Misericordiam & consolationem Evangelicam* Luc.10,34. Esa.1,6. Ps.92,11. Hæc autem omnia nobis contingant beneficio & merito unici Salvatoris nostri Jesu Chri-
Christus. sti, hinc ille *Cornu salutis* appellatur Luc.1,69. Non solum qvia gratiæ divinæ & salutis æternæ oleum nusqvam nisi in hoc *cornu* reperitur Act. 4. 11. 12. Sed etiam qvoniam *Christus* est *Cornu* abundans & perpetua qvasi Scaturigo, qvæ nunqvam deficit, sed perenne stillat atq; exuberat oleo gratiæ & variorum beneficiorum Dei Joh. 1, 14. Col.1,16. Ut *ex ipsius plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia* Joh.1,16. Qvod si virtutem & regimen Spiritus sancti exoptas, ex hoc Cornu effunditur, Joh.14,26. cap.15,26. Gratiam & misericordiam DEI qværis, in hoc *Cornu* invenies Heb.4,6. Si peccatorum remissionem desideras, in hoc *Cornu* exhibetur Luc.24,47. Act.10, 43. Si veram Justitiam & sanctitatem affectas, ex hoc cornu promanat, 1.Cor.1,3. 2.Cor.5, 21. Si deniq; ad vitam & beatitudinem æternam aspiras, ex hoc *cornu* hauritur Joh. 10,10. cap.17,3. 1. Johan. 5, 11. Matth.21,21. In summa cœleste hoc *cornu* fontis instar perenniflui ex profundissima mortis & vulnerum suorum Scaturigine perpetuò suppeditat *tristibus solatium*, *vinctis solutionem*, *captivis libertatem*, Esa.61.1,2. *laborantibus* & *oneratis refocillationem* Matth. 11, 28. *lassis requiem*, ibid.v.29. *ægrotis medelam*, Ps.147,3. Esa.53,5. *Mortuis vitam* Joh.11,25. &c. Huc etiam referri & optimè applicari possunt, qvæ habentur Esa.66.11,12,13.

Hæc est hujus Metaphoræ dulcissima meditatio, qvæ longè melius & menti canentis Zachariæ consonat, & conscientias afflictas reficit, qvam altera illa *Cornu* titulum Christo imputans, ob regni duntaxat robur & potentiam. Siqvidem *Cornu* hic non potentiæ sed *salutis* appellatur, nec Zacharias hoc loco tam Christi celebrat omnipotentiam, qvàm salutarem humani generis redemptionem ab ipso partam. Et alibi hoc ipsum *cornu* oleo veritatis & misericordiæ divinæ qvasi superfluens nobis porrigîtur Psalm.89,25. Qvid? qvod ipsum vaticinium Davidis hic citatum ostendat *cornu* illud *germinare*

minare imprimis sacrosancti Evangelii prædicatione, veram salutem cum lætitiâ spirituali ceu oleum & balsamum fragrantissimum piorum animis instillante, Ps.132,16.17. confer Rom.1,16.

Potest etiam non incommode hicce Messiæ titulus sensu allegorico referri ad altare thymiaterii, cujus cornua Pontifex maximus qvotannis semel sangvine victimæ aspergens, conceptis precibus, populum Deo solenniter reconciliabat Exod.30,10. Christus Jesus est *aureum illud altare cornutum*, *extans in conspectu* Dei Apoc.9,13. cap.8,3. In qvo solo oblata precum, laudum, aliorumq; operum nostrorum holocausta, Patri cœlesti accepta, gratiaq; reputantur, Ephes.1,6. Nec nisi in hujus salutiferis cornibus, merito videlicet & intercessione peccata nostra expiantur, 1. Joh.2,2. Heb.10, 14. preces exaudiuntur, Joh.16,23. 2.Cor.1,20.

Ad *cornua* dicti Altaris, tãnqvàm ad certum aliqvod asylum confugiebant fontes capitali afficiendi supplicio, iisq; apprehensis se tutos & periculi expertes atq; immunes fore sperabant, 1.Reg.1,50. 51. cap.2,28. Christi *cornua*, h.e. passionem, mortem resurrectionem, &c. qvicunq; firma fide apprehenderit, omnes Diaboli, lethi, inferni minas & insultus securus irridebit, cum Paulo, Rom.8,33.34. Hæc, inqvàm, expositio alteri prius â nobis allatæ pulcherrimè respondet, & qvasi subordinatur. Sicuti enim prior bona innuit positiva, qvæ hoc *Cornu salutis* credentibus suppeditat: Ita hæc posterior bona indigitat privativa, qvæ *salutare* illud *cornu* secum fert, extrema ab iisdem mala depellendo.

Caput Secundum.

De notionibus & figuris Auri.

SECTIO I.

Qvare Aurum *inter metalla pretiosissimum habeatur.*

VIdimus formam seu figuram monumenti nostri, exigit ordinis instituti ratio, ut paucis etiam expendamus materiam; qvæ est *aurum* præstantissimum, & purissimum, teste Dn. D. WORMIO. *Aurum* autem excellit inter metalla (Esa.60,17. Dan.2,32.33.) non propter usum & necessitatem: *Ferrum* siqvidem longè majorem, qvàm aurum, præstat generi humano usum in communi vita, in re præsertim domesticâ, agrariâ, militari, nauticâ, &c. qvin & respublicæ nonunqvam florentissimæ *auri* usum qvedã ignorarunt, ut *Scythica*, qvedam procul à se repulerunt, ut *Spartana*, & tamen feliciter egerunt, qvamdiu *ferro* non *auro* dederunt operam. Nihilominus omnium veluti consensu amatur & æstimatur *Aurum*, ob certas aliqvot proprietates sacris etiam decantatas scripturis.

Primò *auri* commendat pretiositatem *incorruptibilitas*, qvod nec igne violari, nec rubigine exedi potest, nec usu deteri, more aliorum metallorum; qvin ipsâ temporis longinqvitate fit pretiosius, teste Plinio lib.33.c.3. Qvo nomine homines pii & constantes in tribulationibus assimilantur *Auro*, Sir.2,5. 1.

Deinde pretiosum est *aurum* ob *splendorem*: unde hoc nomine donatur aeris serenitas, Job.37,22. 2.

Aurum æstimatur etiam propter *puritatem*: unde hoc titulo ornatur oleum, Zach.4,12. 3.

4. Aurum in pretio est ob *raritatem*: qvo respectu comparatur auro, qvicqvid charum est & acqvisitu difficile. Qvo respicit Esaias vates cap. 13,12. Ubi ingentem illam stragem, qvæ Babylonios ad extremam redegit paucitatem, ita delineat. *Pretiosior erit Vir auro, & homo mundo obrizo.*

SECT. 2.

Qvomodo scriptura Auri *pretiositatem indicet comparativè.*

SÆpissimè indigitat scriptura dignitatem ac pretiositatem *auri*, qvando res præstantissimas, qvæ ob pretiositatem suam æstimari neqveunt, *auro* confert, *auro* præfert, ut:

1. *Verbum Dei*, Ps.19,11. Ps. 119,72.
2. *Veram fidem*, 1. Pet. 1,7.
3. *Sapientiam*, Job.28,15.16.17. Prov.3,14.c.8,10,11.c.16,16. Bar.3,30. Sap.7,9. Sir.51,37
4. *Sermonem & doctrinam viri prudentis*, Prov.20,15. cap.25,11. Sir.21,23.
5. *Honestam famam*, Prov.22,1.
6. *Bonam corporis valetudinem & sanitatem*, Sir.30,16. cui congruit illud Horatii 1. Epist. 12.

   Si ventri benè, si lateri est, pedibusq; tuis, nil
   Divitiæ poterunt regales addere majus.
7. *Piam & cordatam uxorem*, Sir.7,20. cap.26,20.
8. *Syncerum amicum*, Sir.7.19. confer c.6,16.
9. *Eleemosynas seu liberalitatem in pauperes*, Tob.12,12. Sir.29,14.
10. *Homines genere, opibus, honore inclytos*, Thren.4,2.
11. *Homines pios & in adversis patientes*, Sap.3, 6. Sir. 2,5. Job. 23,10. Proverb.17,3. cap. 27,21.

SECT. 3.

Qvomodo pretiositas Auri *exprimatur appellativè.*

HÆc qvidem comparativè arguunt *Auri* pretiositatem, qvæ evidentiùs adhuc apparebit ex earum rerum enumeratione, qvæ ob suam sublimitatem, utilitatem, jucunditatem, pulchritudinem, in pretio apud homines esse solent, eoq; nomine nomen *Auri* participant, jam in abstracto, jam in concreto.

1. *Auri* titulo sanam ac salutarem verbi divini doctrinam condecorat Apostolus 1. Cor.3,12. inqviens: *Si qvis superstruit super fundamentum hoc* (Jesum Christum) *aurum argentum, lapides pretiosos* (h.e. vera & solida dogmata cum verbo Dei congruentia) *ligna, fœnum, stipulam* (h.e. traditiones humanas, opiniones frivolas & rationis commenta) *cujusq; opus manifestum fiet*, &c.
2. *Auri* nomine exprimit Christus meriti sui efficaciam, veram nimirum Justitiam fide nobis imputandam, Apoc.3,18. Dum ita affatur Ecclesiam Laodicensem: *Svadeo tibi emere à me* (verâ fide & devotis precibus Esa.55,1.) *aurum igne purgatum, ut locuples fias.*
3. *Auri* notione insinuatur verus Dei cultus & legitima sacra Thren. 4,1. ubi cultum divinum incendio templi & populi dissipatione planè labefactatum ita deplorat Jeremias: *Qvomodo obscuratum est aurum, mutatum est aurum optimum? dispersi sunt lapides sanctuarij* (cives & membra Ecclesiæ Judaicæ 1,Pet.2,5. *in capite* (introitu) *omnium platearum* (provinciarum Babylonicarum) 2.Reg.25,11. Deut.28,64.

Fides salvifica ejusq; fructus seu virtutes Christianæ nomine *auri* veniunt Ps.45,10. Qvibus ornata Ecclesia, conjunx Christi dicitur *adstare ad dextram ejus in auro Ophir*, hoc est, purissimo & præstantissimo. 4.

Ipsum itidem ministerium Ecclesiasticum nominari reor *Candelabrum aureum* Zach.4,2. *Candelabrum* qvidem ob lucem & splendorem, qvem auditoribus mentem tenebris obscuratam habentibus affundit, Luc.1,79. *Aureum* verò ob insignem vitæ pariter & doctrinæ puritatem atq; constantiam, Matt. 11,7. Hinc Christus Apostolos aliosq; ex Judaismo conversos, & Evangelio prædicando destinatos, à Scoriis Pharisaismi *purgasse* dicitur, *qvasi aurum & argentum*, Mal.3,3. 5.

Ecclesia triumphans seu cœlestis Hierosolyma *aurum* qvoq; vocatur & qvidem Καθαρὸν, *purum*, à Scoriis defecatissimum, Apoc.21,18. Ob summam videlicet puritatem, sanctitatem, synceritatem: nihil enim sordidi aut prophani admixtum habebit ibid.v.27.cap.22,15. 1.Cor.6,9. 6.

Christiani excellentes spiritu & virtute Apostolo sunt *vasa aurea*, 2. Timoth. 2,20. 7.

Aurum significat etiam opes & divitias, qvæ potissimùm in *auro* consistunt, Sir.31,5,8. Zach. 9,3. cap. 14,14. Tob. 12,12. Unde homini divitiis abundanti competit illud Horatii lib. 1.Epist.12. 8.

——— —— *Ut te*
Confestim liqvidus fortunæ rivus inauret.

Luxus in vestitu & nimius corporis cultus atq; ornatus interdum qvoqve hac exprimitur appellatione: siqvidem ex *auro* confici solent ornamenta illa, ut monilia, annuli, armilli, torqves, diademata, & ejusmodi alia, qvibus exornare sese homines superbi amant, 1.Tim.2,9. 1. Pet.3, 3. Jac. 2, 2. Apoc. 18,16. Esa.3,19.21. 9.

Deniq; regnum seu regia dignitas, etiam *auri* insignitur notione. Sic Regnum Babylonicum dicitur *caput aureum*, ob gloriam & potentiam Dan. 2,39. *Calix* verò *aureus*, ob luxum & opulentiam, Jerem.51,7. Hinc Magos Orientales Jesu infantulo recens nato offerentes *aurum* (Matth.2,11.) regiam ipsius innuisse majestatem docent. D. Augustinus Serm.36. de tempore. Gregorius Nyssen. Serm. de Christi nativit. p.37. Hilarius can. 2. in Matth. Irenæus lib. 3. cap.10. Qvo spectat illud Sedulii: 10.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi.

Caput Tertium

De præcipuis Emblematibus in Cornu aureo extantibus: qvæ sunt

I.

Serpens.

COnsideravimus etiam materiam *cornu* nostri, faciamus accessum ad notas illas hieroglyphicas, qvæ in eodem apparent, ubi major se offert difficultas, qvoniam omnia hîc obscura & intricata, sed ad sacrarum literarum trutinam ponderata, paulò clariùs [ut spero] elucescent.

Initio conſpiciuntur in hoc cornu *Serpentes* pluſculi variarum & diverſarum ſpecierum, proportionum, capitum, ſituum, effectuum: Ita & codex ſacer non tantum *ſerpentem* in genere nobis commonſtrat, ſed ſimul etiam diverſas ejuſdem exhibet ſpecies, ut *Dracones* Eſa. 34, 13. Jerem. 14, 6. Mich. 1, 8. *Aſpides* Eſa. 11, 8. Pſ. 140, 4. *Viperas* Eſa. 30, 6. Act. 28, 3. *Baſiliſcos* Pſ. 91, 13. Eſa. 59, 5. *Scorpiones* Deut. 8, 15. Luc. 11, 12. &c. Qvamvis in hiſce ſpeciebus nominandis & diſtingvendis nec verſio LXX. Int. græca, nec Latina vulgata ubiq; textum originalem accurate imitetur, qvod pluribus deducere hujus nec loci eſt, nec inſtituti.

Serpentis Aſtutia & Virulentia. Serpentis Potentia nocendi.

Mihi *ſerpentis* hieroglyphica altius in ſcripturis θεοπνεύστοις indaganti duæ potiſſimæ ejuſdem occurrunt proprietates, qvibus omnes illæ notiones, qvæ huic imponuntur animali, veluti baſi ſuâ ſtare atq; omninò niti videntur; *Calliditas*, inqvam, & *Virulentia*: prior deſcribitur Gen. 3, 1. Poſterioris mentio fit Deut. 32, 33. Job. 20, 16. Pſal. 58, 5. Ob iſtas verò proprietates conjunctas maximâ pollet *ſerpens* nocendi potentia: Cujus manifeſtiſſimum extat documentum Num. 21, 6. Ubi igniti ſerpentes divinitus immiſſi morſu ſuo mortifero magnam Iſraelitarum multitudinem confeſtim proſternunt. Hac de cauſa expectabant Melitenſes, ut Paulus, à viperâ ictus venenatâ, mortuus ſtatim concideret, Act. 28, 6. Hinc ſerpentes & ſcorpiones numerantur inter ſeveras illas plagas, qvibus juſticia Numinis ob peccata homines affligere conſvevit, Sir. 39, 38. Jer. 8, 17. Imo qvæcunq; hominibus vehementiſſimè nocent & ægerrimè faciunt, ſerpentum, vermium, aſpidum, ſcorpionum, &c. veneno, aculeo, morſui, roſioni aſſimilantur, ut: *mala mulier ad iram provocata* Sir. 25, 16. 17. cap. 26, 8. *Vinum immoderatè ſumptum* Prov. 23, 32. *Impiorum opes malis artibus corraſæ*, Job. 10, 15. 16. *Angor conſcientiæ* Sir. 21, 2. *Cruciatus infernales* Eſa. 51, 8. cap. 66, 24. Eodem reſpectu comparat Johannes vim nocendi maximam & lethalem cum *poteſtate Scorpionum terreſtrium*, Apoc. 9, 3. 5. Et *flagella aculeata* eandem ob cauſam *ſcorpionum* nomine vocantur 2. Paral. 10, 11.

Diabolus.

Hoc, procul dubio, in cauſa fuit, cur Diabolus ſerpentem imprimis elegerit, qvo tanqvàm inſtrumento uteretur ad ſeducendam Evam, in ſerpente cum eâ locutus & ratiocinatus, Gen. 3, 1. & ſeq. 2. Cor. 11, 3. Aſtutiſſimum enim & perniciоſiſſimum cum ſit hoc animal, utiq; ad nefarium illud facinus videbatur aptiſſimum: cujus proinde nomen poſtea retinuit Diabolus, utpote cujus proprietatibus ſumma ipſius verſutia & lædendi cupiditas appoſitè adumbratur; qvi hinc *Draco magnus* & *ſerpens antiqvus* appellatur, Apoc. 12, 9. cap. 20, 2.

Qvapropter Cacodæmon ſerpentem, ut ſui effigiem ac imaginem, ob dictas rationes in deliciis habere putatur, ejusq; formâ ad decipiendos homines libentiùs utitur, *ad primi facti memoriam commendandam*, *qvædam cum hoc genere familiaritas*, docente Auguſtino lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 28. Qvia ſcilicet in prima illa deceptione expertus hanc ſibi fraudem ex voto ſucceſſiſſe. Cujus rei exemplum, qvomodo Dæmon in forma Dracónis juveni cuidam apparuerit, narrat Gregorius hom. 19. in Evang. & lib. 4. dial. c. 37. Taceo hiſtorias prophanas, qvæ Draconem [hoc eſt, Diabolum ſub ſpecie Draconis] in ſomnis viſum matri, portendiſſe Alexandro Magno, ut & Scipioni, Auguſto, Aureliano, Severo, aliisq; imperium amplum atq; illuſtre, teſtantur.

Qvin eò tandem dementiæ perpulit homines hoſtis ille infernalis, ut ipſum

ipſum angvineâ pelle veſtitum religioſo cultu venerarentur, qvod non tantum Ethnicorum hiſtoriæ loqvuntur, ſed divina etiam aſſerunt monumenta, Dan. 14, 22. Sap. 11, 16. Rom. 1, 23. Nec tantum Ethnicos ita excœcavit, ſed qvoſdam etiam hæreticos in hunc execrandum errorem protraxit, ut colubrum, qvi ſeduxit Evam, pro ipſo Chriſto haberent, ideoq; vivum alerent & colerent ſerpentem, cui in Euchariſtiâ panem lambendum & conſecrandum offerrent: Unde abominanda hæc ſecta *Ophitarum* nomen ſortita eſt. De qvâ Auguſtinus de Hæreſ. cap. 17. Adeo nimirum huic nefario humani generis impoſtori placet, ſeſe in ſerpentino illo ſubinde oſtentare præſidiolo, ex qvo olim cladem hominibus primam ac funeſtiſſimam intulit.

Diaboli membra.

Qvemadmodum autem homines impii ac ſcelerati Sathanæ Patris & Anteſignani ſui typum gerunt, ductum ſeqvuntur [Joh. 8, 41. 44.] ſerpentum verſutiam & virulentiam imitando: Ita cum eodem ſerpentis titulum meritò participant, Sir. 12, 20. 21. Ut: *Hæretici* & falſi doctores Matth. 3, 7. cap. 23, 33. Eſa. 59, 5. *Tyranni* Jer. 51, 34. Eſa. 51, 9. Ezech. 29, 3. cap. 32, 2. *Calumniatores* & Sycophantæ Pſal. 140, 4. *Peccatores obſtinati*, repudiantes pia & ſalutaria verbi monita Pſ. 58, 5. 6. &c.

Peccata enormia.

Nec ſolum impia illa Diaboli membra, ſed etiam ipſa peccata & flagitia, qvæ horum operâ, illius inſtinctu, perpetrantur, ſerpentino nomine veniunt, partim ob morſus & aculeos, qvibus conſcientia peccatoris intùs diſcruciatur, Sir. 21, 2. confer Pſ. 38, 3. 4. Job. 6, 4. Sap. 4, 20. 2. Cor. 12, 2. 7. 1. Tim. 4, 2. partim ob damnum & perniciem, qvæ hinc aliis impingitur, Rom. 3, 13. Deut. 32, 33.

Bellatores.

A Cacodæmone ejusq; aſſeclis transfertur hic titulus ad bellatores: partim ob aſtutiam bellandi & varia ſtratagemata; hinc tribus Danitica ita depingitur Gen. 49, 17. *Erit Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ, mordens ungulas eqvi, ut cadat aſcenſor ejus retrò*: partim ob clades, qvas hoſtibus infligunt, qvo nomine Ezechias, Rex aliàs pius & benignus, *Baſiliſcus* & *volans draco ignitus* appellatur, Eſa. 14, 29.

Porro cum ſerpens verſutiam & calliditatem ſuam exerceat non modo in lædendis aliis, ſed etiam in ſe, vitâq; ſuâ tuendâ; commendat hoc nomine Salvator omnibus piis ſerpentis prudentiam, Matth. 10, 16. Qvorum officium proprietates aliqvot ſerpentinæ repræſentant. Nam

1. Homines prudentes.

Serpens [ut docent Phyſici] hyberno tempore profundas terræ cavernas petit, ut frigora vitet & pingvior fiat: ſic & nos ingruente hyeme ſecuritatis, ſuperbiæ, ſeductionis, &c. deſcendamus in ſepulchrum, meditando accuratè mortalitatem noſtram, ita nec fides noſtra torpeſcet, nec charitas frigeſcet, ſed in bonis indies operibus calidiores & pingviores evademus. Hoc eſt, qvod Siracides inculcat cap. 7, 40. David exoptat Pſ. 39, 5. Pſ. 90, 12.

2.

Serpens verno tempore ex hybernis progrediens latebris, per anguſtiſſimum foramen ſe traducit, qvò contractas ſordes & membranam corporis obductam abſtergat, & ita ætatem ac formam ſuam qvaſi renovet. Hac imagine inſinuatur vera atq; efficax pœnitentia, qva peccatores converſi veterem hominem exuunt, priora peccata deponunt, ſicq; verâ fide ejusq; fructibus ad imaginem Dei reformati qvaſi rejuveneſcunt, Pſ. 103, 5. Huc pertinent, qvæ habentur Eſa. 1, 16. Eph. 4, 22. 23. Rom. 6, 4. Col. 2, 12.

3.

Serpens mirâ qvadam ſagacitate obturat aures ſuas adverſus incantatorem, cujus vocem artemq; hoc modo eludit, qvod innuitur qvoq; Pſal. 58, 5. Eandem in ſpiritualibus imitati aſtutiam, obſirmemus aures, oculos & animos

mos adversus mundi hujus Sirenes & fallaces voluptatum illecebras Tit.2,12. 1.Joh.2,15.

4. *Serpens* cæteris omnibus animalibus exosus, nullî animali fidit, sed omnia fugit, sibiq; ab iis cavet: Ita & nos Sathanam ejusq; membra aversemur 2.Cor.6,17. impiorum consortia vitemus Ps.26, 4. 5. peccandi occasiones fugiamus,Sir.21, 2.

5. *Serpens* cum vitam in capite potissimùm gerat,de hoc imprimis sollicitus, inter dimicandum omne reliqvum corpus opponit, ut caput protegat: Consimiliter & nos in pugna cum Diabolo, mundo, Hæreticis Christũ summum caput religionis & fontem vitæ nostræ unicum totis viribus propugnemus, & ut,hunc verâ fide amplexi retineamus, res omnes terrenas, ipsamq; vitam libenter contemnamus,Ps.73, 25.

Intelligimus autem talem prudentiam,qvæ sit cum justiciâ, integritate & synceritate conjuncta,alioqvi non prudentiæ nomen sed calliditatis meretur. Unde Salvator ita nobis *prudentiam* injungit *serpentinam*; ut simul reqvirat *simplicitatem columbinam*; Matth.10,16. Hanc, ut candidi, aperti & fraudis expertes simus, qvoad vitæ conversationem & morum innocentiam: Illam,ut impostoras & dolis plenas hostium artes caveamus, nè sancta illa simplicitas, cùm nostræ, tum aliorum saluti incommodet, atq; ita in nos qvadret illud Hos.7,11. *Fuit Ephraim qvasi columba seducta sine corde.* In qvem locum significanter scribit Hieronymus: *Præcipit Dominus in Evangelio, ut simus simplices velut columbæ,& astuti qvasi serpentes, nè alijs nocere possimus, nec ab alijs patiamur insidias, sed simplicitate & prudentiâ exhibeamus hominem temperatum,qvia prudentia absq; bonitate malitia est,& simplicitas absq; ratione stultitia nominatur.* Utraq; conjunctim prædicatur de Davide Ps. 78,72. *Et pavit eos,* [Israelitas] *in innocentia cordis sui: & in intellectibus* [prudentiâ] *manuum suarum deduxit eos.* Ubi duo præcipua boni principis indigetantur munera: Synceritas cordis,& in rebus administrandis necessaria prudentia. Eadem iterantur *Ps.*101,2. Ps.119,104. &c.

Christus. Nec contenta scriptura in rebus humanis serpentum ostentasse imagines, altiùs nos evehit ad Jesum Christum, redemptorem nostrum,qvi serpenti seipsum assimilare haud dedignatur Joh.3,14. Remittens nos ad historiam Num.21,6. & seq. descriptam, ubi serpens æneus in medelam Israelitarum ab ignitis serpentibus vulneratorum erectus,typũ gessit Christi pro nobis in cruce exaltati,ut ipsius fideli intuitu sanati,vitã ac salutem æternã conseqvamur. Qvemadmodum igitur Christus *mortis mors* & *infernipestis* [Hos.13,14.] ita & *serpentis* [Diaboli] *serpens*,h.e. destructio ritè appellatur. Siqvidem morte & passione suâ peccatum abolendo, sicq; simul Diaboli vires & regnum destruendo, *caput serpentis contrivisse* dicitur Gen.3,15. Qvod uberius explicat Apostolus,Heb.2.14. Affirmans Christum *morte sua abolevisse eum, qvi mortis habebat imperium,Diabolum,& liberos reddidisse, qvotqvot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant servituti.*

Idem ulteriùs effectum dedit Salvator, prædicatione & propagatione Evangelii per Apostolos eorumq; fideles successores, qvorum operâ Paganismum inter gentes ad fidem conversas destruxit, & ita *Draconem* illum & *serpentem antiqvum ligavit, & in abyssum* infernalem *detrusit*, Apoc.20,3. Huc, procul dubio,respiciens Christus, dedit Apostolis *potestatem calcandi & tollendi serpentes atq; scorpiones* absq; omni noxâ & periculo,Luc.10,19.Mar.16,18 con-

confer Ps.91,13. Qvod non tantum de miraculosâ defensione contra venena & morsus serpentum,ut Act. 28,6. sed vel imprimis de victoriâ contra Cacodæmonem, ejusq; servos, qvantumvis malitiosos & venenatos,accipiendum esse,innuit Paulus Rom.16,20. inqviens: *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros brevi*,&c.

Nec hodie desistit Christus serpentis qvassare caput, Diaboli ejusq; assectorum vires frangendo, conatus impediendo, insidias reprimendo: id qvod apositè adumbrãtur prælio illo Apoc.12, 7.8. 9. qvo *Draco cum Angelis suis victus & è cœlo* (Ecclesiæ) *deturbatus fuit.* Et nisi Christus Ecclesiam suam, ejusq; membra à furore atq; impetu Satanæ protegeret, & inter tot tentationes,hæreses,turbas,persecutiones sustentaret, actum de iis dudum & conclamatum esset,Apoc.12.13. & seq. Ps.124,1. & seq.

2.

Nuditas.

OMnes qvi in cornu nostro conspiciuntur homines *nudi* apparent, præter unicum & ultimum illum in circulo secundo. 1.

Est autem *nuditas* homini nativa & naturalis,qvæ,ut Protoplastas in creatione, ita nos in nativitate comitatur: In genere igitur denotat nativum statum & conditionem hominis in vitæ & ingressu & egressu,Job.1,21. Eccl.5,14. 1.Tim.6,7. Humanis conditio naturalis. 2.

Nuditas corporis humani, ut in statu innocentiæ fuit honesta, sancta, casta & glorioſa Gen.2,25. ita post lapsum turpis facta est & ignominiosa Gen. 3,7. Nimirum propter inordinatos & obscœnos carnis affectus & motus adversus rationem rebellantes,vid.Augustin. de civitate Dei lib.14,cap.17. Hinc nuditas nonnunqvam significat turpe,fœdum,pudendum,Gen.9.21.23. Exod. 20,26. Lev.18,6. Judit.9.2. Esa.3,17. cap.47,2. Jer.13,26. Hab. 2,15. Fœdum. 3.

Cum nævi & imperfectiones corporis veste operiantur,hac verò exutâ, omnium oculis pateant, *nudum* etiam appellatur, qvod notum, obvium manifestum est,Job.26,6. Heb.4,13. Hab. 3,9. Unde arcana dicuntur *denudari*, qvando revelantur,aliisq; communicantur,Sir.4,21. cap.6,10. cap.27,16. Et gladius *nudatur*,qvando è vagina educitur Ezech.5,2. cap.28,7. Notum. 4.

Cum vestimenta nos muniant à frigore, æstu & aliis cœli injuriis, qvibus nudi homines obnoxii sunt, hoc respectu miles amissis armis, qvibus sese tueatur adversus hostes, *nudus* perhibetur,2.Mac.11,12. Amos 2,16. Terra qvoq; *nuda* vocatur, qvæ caret munitionibus,Gen.42,9. Et *nudari* dicitur, cum hostibus diripienda & vastanda exponitur,Ps.137,2. Esa.24,1. Thren.4,21. Ezech.16,39. cap.23,29. Hos.2,3. Qvapropter jubetur Vates Esaias planè *nudus* incedere,ut hoc insolito ac stupendo suo habitu denunciet ingentem cladem & vastationem Ægypto ac Æthiopiæ superventuram,Esa.20,2.3.Nec non populus ob enormia flagitia,divino destitutus patrocinio, *nudatus* dicitur, hoc est, imbellis,infirmus & hostium tyrannidi ac libidini objectus, Exod. 32,25. 2.paral.28,19. confer Num.14,9. Inermis. 5.

Qvoniam hominibus magnâ paupertate pressis plerumq; deest, qvo amictum sibi comparent, unde laceratis vestibus & seminudi sæpius conspiciuntur: hinc *nuditas* non rarò extremam designat paupertatem corporalem Deut.28,48. 2.Paral.28,15. Job.22,6. Tob.1,20, Esa.58,7. Ezech.18,17. Matth. 25, 43. Rom.8,35. 1.Cor.4,11, 2.Cor.11,27. Jac.2,15. Paupertas Corp.

Cum

6. Luctus.

Cùm illi, qvi magnâ triſtitiâ & dolore animi ex improviſo obruuntur, veſtes ſuas ſcindere, & caput *nudare* conſveverint, Gen. 44,13. Jud. 11,35 1. Reg. 21,27. Job. 1,20. *Nuditas* etiam indicat ingentem luctum; & præſertim talem, qvi externis ſe prodit indiciis, Mich. 1,8. Levit. 10,6.

7. Paupertas ſpirit.

Deniq; cum homo per lapſum amiſerit omnem ornatum ſuum ſpiritualem, qvi ipſi increatus, veluti veſtis regia, animam corpusq; ipſius condecorabat. Ergo *nuditas* exprimit privationem primævæ illius majeſtatis & defectum veræ juſticiæ, ſanctitatis, innocentiæ, immortalitatis, aliorumq; donorum primitùs humanæ inditorum naturæ, Ezech 16, 7. 2. Cor. 5, 4. Apoc. 3, 17. 18. cap. 16. 15.

3.
Indumentum.

NOtionibus *Nuditatis* non ineptè adjici poſſent hieroglyphica *indumenti*, utpote qvod nuditati è diametro adverſatur, ideoq; ſub eandem cadit ſcientiam. Sicuti enim *nuditas* turpitudinem, revelationem, infirmitatem, luctum, paupertatem, &c. ſignificat: Ita *indumentum* econtrariò denotat ornatum, Jud. 10. 3. Eſa. 52, 1. Pſal. 93, 1. Pſal. 104, 2. Occultationem Matth. 7, 15. arma & vires pugnandi, Eſa. 59, 17. Lætitiam, Eccleſ. 9, 8. divitias Exod. 12-35. Eſa. 3, 6. 7. Luc. 7, 25. cap. 16, 9. Et qvemadmodum *nuditas* exprimit peccati fœditatem naturali labe contractam, ſic veſtis vel *indumentum* inſinuat veram juſtitiam à Chriſto partam & fide nobis imputatam atq, indutam in Baptiſmo, Eſa. 61, 10. Matth. 22. 12. Gal. 3, 27. 2. Corint. 5, 3. Apocal. 3, 18.

Verùm cum nonniſi unicus homo occurrat in hoc cornu veſtitus, cujus hieroglyphicum facili negotio expediri poterit, non eſt, qvod hujus diſqviſitioni diutius immoremur.

4.
Homo beſtialis, ſeu beſtia humana.

BEſtiæ variis formis extant in cornu noſtro, qvædâ totam ſpeciem belluinam repræſentant; aliæ caput humanum in belluino geſtant corpore, aliæ hominẽ corpore, beſtiam facie oſtentant. Conſimiliter pagina ſacra non ſolum figurâ & indole brutorum animalium hominem ſui admonet officii, ſed beſtias in hunc finem exhibet qvoq; monſtroſas, ut Apoc. 13 1. 2. 11. c. 17, 3. 7. 8 11. Dan. 7, 3. & ſeq. cap. 8, 3. 5. &c. qvaſdam etiam humana facie comparentes, ut Apoc. 4, 7. Ezech. 1. 5. & ſeq. Qvæ loca pluribus diſcutere à noſtro alienum eſt propoſito. Suffecerit impræſentiarum notaſſe, qvod Spiritus Dei in monumentis ſacris ſæpiſſimè jumentorum, pecudum, ferarum proprietatibus vitia hominum arguat atq; exaggeret, ut Prov. 28, 15. Pſ. 7, 3. Pſ. 10, 9. Pſal. 22, 13. 14. Pſ. 32, 9. Pſ. 49, 21. Pſ. 68, 31. Pſ. 74, 19. Pſ. 80, 14. Eſa. 34, 6. 7. Ezech. 19, 2. 3. cap. 39, 17. 18. Hoſ. 10, 11. Amos 4. 1. Matth. 7, 15. cap. 25, 32. 33. Tit. 1, 12. &c. Hinc D. Hieronymus in hæc verba Ezech. 5, 17. *Immittam in vos beſtias peſſimas, &c.* ita ſcribit: *Diſſenſiones, hæreſes, ſchiſmata, æmulationes, invidiæ, triſtitiæ, detractiones, deſideria mala, avaritia, qvæ eſt radix omnium malorum, beſtiæ peſſimæ ſunt; qvæ cum fuerint in nobis, meremur audire: corripiet te prævaricatio tua; precamurq; & dicimus: nè tradas beſtiis animam confitentem tibi, &c.*

Exprimitur itaq; hâc figurâ deploranda hominum ſtultitia, qvi ratione & intelligentiâ divinitus præditi, hujus autem immemores ſuæ dignitatis ac præ-

præſtantiæ, neglecto Deo, ad cujus imaginem conditi ſunt, ut eum agnoſcant, celebrent, & vitam divinam in his terris agant; pecudum more ſe carnis cupiditatibus immergunt, & in qvævis flagitia bruto qvodam impetu feruntur, donec tandem in eundem cum jumentis, h.e. perpetuum cadant interitum juxta illud Pſ. 49, 21. confer. 2. Pet. 2, 12. Qvapropter Chriſtus Herodem *vulpem* Luc. 13, 32. Paulus Neronem *leonem* 2. Tim. 4, 17. Hoſeas populum Iſraeliticum *vitulam* cap. 10, 11. Eſaias Pſeudoprophetas *canes mutos* cap. 56, 10. Johannes Baptiſta Phariſæos *progeniem viperarum* Matth. 3, 7. vocitare non dubitârunt. Huc aprimè qvadrant, qvæ habet Chryſoſtomus Homil. 12. in Geneſ. *Scriptura homines malos canes vocat, ob impudentiam & impetum; ob libidinem eqvos; ob ſtupiditatem & ruditatem aſinos, leones & pardos ob rapacitatem; aſpides ob fraudulentiam*, &c. Et rurſus Homil. 23. ad populum Antiochen: *unde potero te fidelem agnoſcere, dictis omnibus contraria proteſtantibus? qvid verò fidelem dico? nec enim es homo, cum tanqvam aſinus recalcitres, laſcivias ut taurus, ut eqvus poſt mulieres hinnias, ventri tanqvam urſus indulgeas, ut mulus carnem inpingves, rapias ut lupus, inſcaris ut ſerpens, ferias ut ſcorpius, ſis ſubdolus ut Vulpes.*

Homo degenerat in feritatem.

Eleganter Boetius lib. 4. conſol. phil. proſa. 3. oſtendit, qvomodo vitia hominem ſua humanitate dejiciant & in beſtiam transforment: *Avaritiâ*, inqvit, *fervet alienarum opum violentus ereptor? ſimilem lupi dixeris. Ferox atq; inqvietus linqvam litigiis exercet? cani comparabis. Inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet, vulpeculis exæqvitur. Irâ intemperans fremit? Leonis animum geſtare credatur. Pavidus & fugax non metuenda formidat? Cervi ſimilis habeatur, ſegnis & ſtupidus torpet? Aſinum vivit. Levis atq; inconſtans ſtudia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordidæ ſuis voluptate detinetur. Ita fit, ut qvi, probitate deſertâ, homo eſſe deſierit, cum in divinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in belluam.*

Nec aliud indicare voluiſſe videtur Pythagoras per ſuam μετεμψυχωσιν cum dixit, animas ſceleratorum migrare in beſtias, h. e. brutos & belluinos mores induere. Idem monere voluit Homerus, qvi finxit, ſocios Ulyſſis à Circe in varias belluas transformatos, Ulyſſem autem ob virtutem & ſapientiam non potuiſſe Circæis poculis dementari.

Scriptura hoc ipſum depingit metamorphoſi Regis Nabucadnezaris, qvi ob ſuperbiam & inſolentiam aliaq;, vitia ad formam & conditionem beſtiæ redactus, atq; ex hominum contubernio exturbatus, per integrum ſeptennium in ſolitudine inter feras ſub dio noctu dieq; oberravit, Dan. 4, 13. 22. 30.

Porro ſtupor iſte belluinus apud homines nonnunqvàm ita invaleſcit, ut brutis non modò ſimiles ſed longè deteriores evadant. Hinc Eſa. 1, 3. Judæis rebellibus & ingratis non eqvus generoſus, non canis ſagax, ſed ſtolidiſſima animalia, *Bos* & *Aſinus*, præferuntur. Eorundem ſocordiam perſtringens Jeremias cap. 8, 4. ſolertiam certarum avium allegat ſtata tempora abeundi & redeundi accuratè obſervantium. Et Joel cap. 1. 18. 12. *Jumenta ingemiſcere, armenta boum perplexa eſſe, & beſtias agri ad Dominum clamare* perhibens, apertè taxat nefandum hominum ſtuporem, qvi nec manum Dei irati agnoſcunt, nec peccata ſua qvibus meruerunt hoc malum, ſeriò deplorant. Sic deſiderium *Cervi* anhelantis ad rivos aqvarum Pſ. 42, 2. Vigilantia *Cervæ* matutino tempore è cubili ſuo egredientis ad paſtum Pſ. 22, 1. Cant. 2, 9. Diligentia *formicæ* labore tempeſtivo colligentis cibum Prov. 6, 6. & ſeq. Volatus *columbæ* hoſtem ſuum accipitrem ſumma celeritate fugientis Pſ. 55, 7. Renovatio *Aqvilæ* priſtinas vires formamq; recuperantis Pſ. 103, 5. Eſ. 40, 31. Crocitus & clamor *pulli corvini* Pſ. 147, 9

Homines deteriores beſtiis.

Job.39,3. Generositas & fortitudo *leonis* Gen.49,9. Apoc.5,5. Laboriositas *Asini*, Gen.49,14. *Ovis* patientia Esa.53,7. *Agni* innocentia 1.Pet.1,19. *Gallinæ* affectus in pullos Matt.23,37.&c. Hæ,inqvam,& aliæ aliorum animalium virtutes nobis persæpe proponuntur ad æmulandum in rebus spiritualibus, ac fidei pietatisq; exercitiis. Qvamobrem Jobus in genere nos ablegat ad bruta animalia,veluti præcones divinæ virtutis & sapientiæ: *Interroga jumenta & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi*, Job.12,7.

Imo qvemadmodum animalia usu rationis & loqvelæ destituta,virtutibus qvas naturali edunt instinctu, homini non rarò antecellunt: Ita rursus homo omnium belluarum vitia sua malignitate non æqvat modò sed longè etiam excedit. Nam *equum* superat *ferociâ*; *Leonem* truculentiâ; *ursum* sævitiâ, *lupum* voracitate; *vulpem* astutiâ; *canem* invidiâ; *pavonem* superbiâ; *suem* ingluvie; *gallum* libidine & sic deinceps. Unde in sævissimis bestiis nonnunqvam major deprehenditur humanitas, qvàm in ipsis hominibus. Danieli,qvem in lacum conjecerunt Medi, parcebant leones, Dan.6,23,24. Eliam, qvem hostiliter Achab persecutus est, pascebant corvi 1. Reg. 17, 6. Qvo respiciens Cyprianus tractat. de orat. Domin. *O humanæ malitiæ*, inqvit, *detestanda crudelitas! feræ parcunt, aves pascunt, & homines insidiantur ac sæviunt.* Qvin eò tandem malitia pervenit humana, ut omnia vitia, qvæ singula tantùm in singulis bestiis inveniuntur, in uno interdum homine impio & scelerato concurrant simul universa. Hinc Paulus conditionem hominis naturalem & carnalem ita describit, qvod sit πεπραμμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν Rom. 7, 14. ut qvi totus peccati servitio mancipatus sit, qvod ipsi prorsus *dominatur & regnat in mortali ipsius corpore*, Cap. 6, 12. 14.

Omnium bestiarum vitia concurrunt in uno homine.

5.
Piscis.

FIgura *Pisci* aliqvoties se offert in cornu nostro, qvem inter cibos delicatiores olim etiam fuisse testantur non modò scriptores prophani,& inter cæteros Svetonius, qvi in famosissimâ illâ cœnâ, Vitellio Imperatori datâ à fratre, duo millia lectissimorum piscium appósita fuisse tradit: sed huc etiam alludunt historiæ sacræ, & præsertim illa de murmurantibus Israelitis in deserto, qvi imprimis recordabantur piscium, qvos in Ægypto gratis comederant, Num.11,5. Et postmodum esum piscium Judæis valdè gratum & familiarem fuisse indicant plurima scripturæ loca, ut Tob.6, 7. Matth.7, 10. Marc. 8, 7. Luc.24,42. Joh.6,9.&c. Piscem igitur symbolum esse voluptatis & delicatæ vitæ, extra controversiam est.

Vita delicata.

Ipse autem Salvator omnes in genere homines *bonos* pariter & *malos* assimilat piscibus, ob varia scilicet piscium & vitia & virtutes, Matth.13,47.48.

1. Impii.

Vitia piscium qvod attinet, primò propter summam frigiditatem & humiditatem stolidi & indociles sunt, nec ullo modo domari aut cicurari possunt. Hoc nomine *1.* in genere schemata sunt peccatorum pertinacium & obduratorum, qvi nullâ doctrinâ aut exhortatione à peccatis abduci, & ad meliorem mentem reduci possunt, Esa.65,2. Prov.1,24.25. 2. In specie notantur hac piscium conditione bibuli & ebriosi, qvi humiditate gaudent, h.e. continuis compotationibus & helluationibus indulgent, hincq; nihil recti, justi, commodi aut laudati designant, Hos.4, 11. Esaiæ 5, 11. 12. Amos 6, 6. Roman. 13, 13. Sir. 19, 2. Prov. 20, 1. cap. 23, 29. 30.

Pisces

Pisces ventre incubant aqvis, & latere amant in limo, algâ, gurgitibus: hac ratione insinuant homines terrestres, qvi hujus mundi delitiis, voluptatibus, divitiis, honoribus ita se immergunt, ut illinc difficulter extrahi, & ad veram sapientiam, virtutem, beatitudinem aspirare qveant, Luc.8,14. cap.21,34. De qvibus Paulus Phil. 3,9. *Qvorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qvi terrena sapiunt.* 2.

Piscium omne genus vorax & gulosum est teste Arist. l.3. de part. Anim. c.14. Ita non minima pars hominum in gulam & ingluviem propensa, Amos 6,4. Sir. 37,34.35.36. Prov.23,20. Eccles.10,16. Luc.21,19. &c. 3.

Pisces longè lateq; vagantur & oberrant, ac propter cibum modò ex mari egrediuntur in flumina, modò è fluminibus fugiunt in pontum vid. Aristotel. lib.9. hist. Anim. c.37. Hoc respectu repræsentant homines avaros, & maximè mercatores, cupidos lucri & divitiarum, qvi omnes terræ & maris recessus pervagantur, per saxa per ignes discurrunt Ps.39,7. 4.

Inter pisces non ulla justitia, sed vis & violentia dominatur, dum majores devorant minores, Arist. lib.9. Histor. Animal. cap.2. Utinam in communi hominum vitâ & conversatione non eadem violentia ac injusta crudelitas nimis usurparetur, nec tam crebrò videre esset, ut *pisces magni*, hoc est, qvi viribus, autoritate, potentiâ, pollent, *parvos* atq; miseros deglutiant, eorundem bona, domos, fundos, substantiam ad se iniqvissimè rapiendo, Mich.3,3. Prov. 1, 12. Ps. 35, 25. Ps. 142,3. Thren.2,16. Job.20,15. Marc.20,14. Matth. 23, 14. &c. Huc imprimis facit qverela illa Hab.1,13.14. *Qvare respicis super iniqva agentes, & taces, devorante impio justiorem se? Et facies homines qvasi pisces maris, & qvasi reptile non habens Principem.* Præclare Basilius hom. 7. Hexam. *Major pars piscium*, ait, *liguriunt, alter alterum, & minor apud illos esca majoris est. Et si evenerit, ut is qvi minorem superaverat, alterius præda fiat, ambo tum simul deglutiuntur & unâ ultimi pisces immersi ventrem ingrediuntur. Qvid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferimus inferioribus?* 5.

Pisces persæpe in medio cursu & lusu capiuntur ex improviso: idem hominibus impiis contingere solet, qvi dum omnis metus expertes carnalibus affectibus & voluptatibus securè indulgent, subitaneo & improviso obruuntur interitu. De qvo monet Ecclesiastes cap. 9, 12. *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqveo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò supervenerit.* Adde Luc.21,35. 1.Thess.5,3. 6.

Hoc pacto pisces effigiem exhibent hominum malorum & reproborum: Cum autem Christus affirmet hamo suo non solùm malos sed etiam bonos pisces contineri, seqvitur, pios & fideles non minus piscium notione & figurâ repræsentari, idq; propter nonnullas piscium proprietates. Ps.

Pisces sicuti in aqva generantur, ita in eâdem manent, vivunt, nutriuntur, unde à mari tanqvam suo domicilio & mansione plærumq; denominantur Gen. 1,26.28. cap.9,2. Num. 11,22. Job.12,8. Ps. 8,9. &c. Qvo nomine exprimunt morem & ingenium hominis pii, prudentis, & sibi constantis, qvi in statu & officio, in qvo divinitus constitutus sit, perpetuò manet, nec ultrò mutationem qværit Psal.37,3. Sir.3,16. 1.

Pisces nunqvam elementum suum ad insidias aliis struendas transgrediuntur, Hinc pisces esse hieroglyphicum *innocentiæ* docet Pierius hierogl. 31. Ideoq; Pythagoram cavisse, ut homines abstinerent piscibus, nè videlicet insontes persequerentur, tradit Litius Giraldus in symbolis Pythagoræ. Qvocirca etiam Pythagoras, teste Plutarcho, à piscatore retis jactum emisse fertur, ut 2.

qvicqvid piscium eo jactu caperet, statim emitteret. Scriptura sane idem exigit à qvovis Christiano, ut hoc modo pisces imitatus, innocuum se erga omnes præbeat, Ps.15,3. Tit.2,12.

3. Pisces aqvam & humiditatem, ut nutrimentum suum intimè amant, desiderant, in deliciis habent, eaq; destituti, non diu superstites esse possunt; qvod etiam innuitur Esa.50,2. Consimiliter mens pia & devota omnem suam lætitiam, refectionem, voluptatem unicè qværit & haurit in aqvâ vivâ & pura divini verbi, qva si destituatur, est veluti *cervus rugiens ad rivos aqvarum*, Ps.42,1.

4. *P*iscibus oculi sunt lubrici, propter circumfusi humoris crassamentum, uti scribit Aristot. lib.2, cap.13. Ita piorum oculi non rarò crassitiem & lubricitatem contrahunt ac penè caligant præ lachrymarum abundantia, qvas noctu & interdiu fundunt propter peccata, & iram Dei cum pœnis multivariis hinc provocatam. Exempla vide Ps.6,7. Thren.1,2. cap.3,48.51.

5. Pisces perpetuis ferè fluctibus agitantur maris procellosi atq; æstuantis: Ita fidelia Christi membra variis tentationum, afflictionum & mutationum æstibus jactantur; expertii illud: Ps.42,8. & Ps.69,1. 2.

6. Piscem non modo homini cibum, sed etiam medicinam suppeditare ostendit historia Tob. 11,13. Ubi Tobias Junior felle piscis cœcos Patris inungens oculos visum illi restituit: Ita homo verè Christianus totis viribus succurrit aliorum necessitati atq; inopiæ; famelicis cibum, ægrotis medelam, miseris auxilium lubenti impertiens animo, Esa.58,7. Tob.4,8.

Utriq; Ob hasce rationes comparantur cum piscibus homines pii ac probi. Restat adhuc conditio qvædam piscium, qvæ hominibus aptata, diverso respectu, & vitio verti & ad virtutem referri potest, idcoq; nunc vituperio, nunc laude digna censetur: sunt enim pisces planè muti & vocis beneficio destituti.

Hanc piscium proprietatem æmulantur ab una parte homines prorsus impii & obstinati, qvi adeò obmutescunt, ut nec Deo confiteri peccata, nec nomen ejus in adversis invocare, aut pro acceptis beneficiis celebrare, nec proximum vel tristem erigere, vel errantem revocare in viam sustineant: qvale silentium injustum perstringitur Ps.58,1. Digni itaq; qvi & hic in afflictionibus ac ærumnis desperabundi conticescant, 1 Sam.2,9. Et ibi in die Judicii coram supremo Judice tandem, veluti pisces, obmutescant, Matth.25,46.

Ab altera parte synceri & fideles Jesu Christi servi piscium imitantur silentium, verâ patientiâ sub cruce & calamitatibus, dum neqvaqvam murmurant aut ullam vocem edunt, qvæ Deum aut homines offendere possit: sed patienter & humiliter omnia Domino committunt, ejusq; opem expectant, & ita cum Jobo *manum apponunt ori suo*, Job.39,34. *ponunt in pulvere os suum* Thr.3,29. *silent à facie Domini*, Zophon.1,2. *Conqviescunt animâ suâ in Deo*, Ps.62,2. *In silentio & spe* ostendunt *fortitudinem suam*, Esa.30,15. &c.

Porro si piscium è mari extractio humanæ applicetur conditioni, res itidem duas diversissimas nobis ob oculos ponit, gratiam, inqvam, & iram Dei.

Qvando mare consideratur ut locus piscibus commodus & ordinarius, ex qvo protrahuntur inviti, denotare potest patriam ac domum, qvam incolæ libenter inhabitant, unde etiam ægerrimè ejiciuntur & abducuntur ab externis hostibus, qvi hinc *Piscatores* audiunt, Jer.16,16. Et eorum vis, robur, exercitus *sagena* & *rete* nominatur, Hab.1,14.

Qvando verò mare vel in se consideratur, ut est periculi plenissimum, Sir. 43,26. vel respectu hominum, qvi in mari vivere neqveunt, vel minorum piscium, qvi in mari à majoribus absorbentur, significat *mundum*, in qvo ceu vasto

sto ac turbido mari, cum multis ac variis malis, hæresibus, tentationibus, seductionibus conflictandum est: Ex qvo per doctrinam & prædicationem Evangelii homines in Dei regnum protrahuntur & congregantur. Unde ipsum verbum Dei prædicatum assimilatur *reti in mare projecto*, Matth.13,47. ejusq; præcones *piscatores hominum* vocantur, Matth.4,19.

Deniq; cum piscis in terram non nisi captus trahatur, in terrâ invitus maneat, nec diu vivat, ibiq; confestim omnes amittat vires, uti apparet Tob.6,5.6. haud absurdè statuitur hoc nomine Symbolum hominis captivi, peregrini, infirmi, mortui: qvâ etiam ratione exprimit statum & conditionem humani generis naturalem. Sumus enim naturâ *capti* sub potestate Sathanæ Psal.142,8. *Constricti vinculis* æternæ maledictionis, Esa.61,1. *peregrini* & extorres à cœlesti patriâ Ps.39,13. Heb 13,14. *Infirmi* ac debiles corpore & animâ, Ps.6,3. Psal.38,8.9. *Mortui delictis ac peccatis*, Ephes.2,1. Col.2,13. &c.

6.

Vultur & Milvus.

*P*Iscibus commodè succedunt aves, utpote qvibus magna cum piscibus intercedit cognatio, qvod etiam notavit Ambrosius lib.1. Hexam. cap.14. Utriusq; enim familias ex eâdem materiâ, nimirum ex aqvâ productas esse docet Moses Gen. 1,20. Et inter utriusq; membra ac motus admirabilem analogiam agnoscunt rerum naturalium Scriptores. Volucres autem veluti testes divinæ providentiæ, citat Christus, Matth.6,26.

Verum enimverò cum in hoc cornu non nisi duæ extent Aves, & qvidem utraq; piscem rostro suo rodens, voraces se & rapaces atq; prædatrices esse indicant: qvo nomine duo execranda insinuant vitia, qvam plurimis mortalium hodie (proh dolor) nimis nota & familiaria, *ingluviem*, inqvam, & *rapacitatem*, qvæ plærumq; simul sese invicem comitari solent. Hæc namq; est præcipua causa, cur alter alterius bonis & substantiis adeò insidietur, ut habeat, qvod luxu profundat, Amos 2,8. cap. 4,1. Hab.2,5. &c. Luxus & rapacitas.

Qvemadmodum autem aves rapaces, ut Aqvila, vultur, Milvus, Accipiter, &c. magnâ plærumq; pollent sagacitate, & diligentiam adhibent incredibilem ad prædandum; dum celerrimè volant, Deut.28,49. Thren.4,19. Zach.5,9. & odoratu ac visu ita valent, Job.28,7. ut prædam procul sitam sentire possint Matt. 24,28. Ita injusti & crudeles illi prædatores ad omnes intenti occasiones, mille fallendi & rapiendi artes noverunt, *prudentiores* hac in parte, *qvàm filij lucis in suo genere*, Luc.16,8. Deinde harum avium qvædam vivis animalibus maximè insidiantur, & præsertim domesticis, videlicet pullis anserum, gallinarum, &c. ut Milvus & Accipiter: qvædam cadaveribus inhiant, ut Vultur & Aqvila. Ita nihil tutum aut immune ab hominum avaritiâ, qvi pauperes & vivos emungunt, cum pane & victu simul sanguinem ac vitam ipsis eripiendo, Sir.34,22.23. Et mortuos in relictis hæredibus, viduis & pupillis crudeliter exspoliant, Mich.2,9.

Qvid qvod Vultures imprimis tantâ sagacitate & odoratu valere perhibeantur, ut per centena milliaria ex aliis locis etiam trans mare advolent ad dilanianda cadavera: Imo magnas qvoq; clades & cœdes præsagire dicuntur; unde magnis gregibus comitantur milites prodeuntes in prælium. Sunt igitur viva imago eorum, qvi mortes aliorum exspectant, ditescere sperantes ex hæreditatibus; qvos Seneca scitè perstringit Epist. 6. *Qvi*, inqvit, *amico ægro assidet, hæreditatis causa, vultur est, cadaver exspectat.*

D. Wolff. Frantzius in suâ historiâ Animalium Vulturibus, præsentientibus cadavera triduo, depingi statuit multorum curiositatem & avaritiam, qvi magnâ explorant solertiâ, qvænam bona feudalia aut Ecclesiastica à senibus aut ægris teneantur, ut illa maturiùs à principibus emendicent, viventibus adhuc prioribus possessoribus, qvorum cadaveribus, vulturum instar, inhiare rectissimè dicuntur.

Sicuti etiam vultures reliqvias prædarum non relinqvunt aliis avibus, ut facere solet Aqvila, sed pullis suis in nidum deferunt; Sic ejusmodi bonorum feudalium vel Ecclesiasticorum captatores præ nimiâ tenacitate & avaritia nihil expendunt, in sustentationem pauperum, Scholarum, Ecclesiarum, sed qvicqvid corradunt, sibi suisq; tantùm reservant. Contra præceptum Salomonis, Prov. 5,16. *Fontes tui deriventur foràs*, &c.

Qvàm extremè autem Deus aversetur rapinas atq; deprædationes, etiam eo declarare voluit, qvod in lege aves omnes rapaces pronunciavit immundas, qvarum esum populo suo prorsus interdixit, Lev. 11,14. Deut. 14,12.13. Hoc ipso monens, non imitandas esse harum avium turpes proprietates, nisi Deo & hominibus abominationi esse velimus, Psal. 5,7.

Deniq; Vultur, Milvus, Ardea, Accipiter, &c. nidificant in locis desertis & abditis, ut illorum nidi nunqvam videantur: unde regio vastata & desolata harum avium dicitur habitaculum Esa. 34,14.15. Et David tempore ærumnoso non modò à sociis & amicis desertus, sed etiam propter summum mœrorem ultrò fugiens hominum commercia, assimilat se ejusmodi avibus solitudines incolentibus Ps. 102,7. Qvo significatur, qvid tandem maneat injustos raptores & pauperum expilatores, à facie Dei & S. Angelorum & beatorum hominum consortio procul arcendos atq; ad Tartara disturbandos, Matth. 7,23. cap. 25,41. Apoc. 21,27. cap. 22,15. &c.

7.
Eqves.

INter plurimas Eqvi proprietates duæ potissimum celebrantur in Sacro codice, *Fortitudo* & *Velocitas*: Hujus mentio fit Jer. 4,13. cap. 12,5. Amos 2,15. Hab. 1,8. &c. Illius Job. 39,19. Ps. 147,10. Ob qvas non solùm in trahendis curribus & vehiculis, sed etiam in bellis ac præliis Eqvi semper magnus fuit usus, uti liqvet Exod. 15,1. 2. Sam. 15,1. Proverb. 21,31. Jer. 6,23. cap. 46,4. Ezech. 38,15. Zach. 10,3. &c. Unde Eqvus denotat qvodvis genus auxilii humani, præsertim militaris, Ps. 20,8. Ps. 33,17. Esa. 31,1. cap. 43,17. Jer. 51,21. Hos. 14,4. Mich. 5,10. Hag. 2,23. &c. Qvocirca vetuit Dominus In lege, Judæorum Reges nimium alere eqvitatum, nè scilicet vel hoc freti bella injusta vel non necessaria moverent, vel huic magis qvam Deo belli tempore confiderent, Deut. 17,16. Eandem ob causam jubentur Israelitæ hostium Cananæorum captos eqvos subnervare, ut discerent omnem imposterùm fiduciam suam collocare in solum Deum non in eqvorum multitudinem, Jos. 11,6. Qvapropter populum Dei in bellis ferè peditatu, nunqvàm aut rarò eqvitatu, usum esse ostendit historia sacra. Impii autem Reges cæperunt magno eqvitatu & uti & delectari, uti patet de Joram 2. Par. 21,9. Qvod etiam Esaias exprobrat proceribus Judæorum, qvod *repletâ sit terra ipsorum eqvis & innumerabilibus qvadrigis* cap. 2,7.

Auxilium humanum.

1. Angeli eqvites.

Hinc est, qvod *Angeli* ad opem piis adversus hostes ferendam cœlitus emissi, plærumq; apparuerint *insidentes eqvis*, qvasi celeres & festini ad pugnandum, 2. Reg. 6,17. 2. Maccab. 3,25. cap. 10,29. cap. 11,8.

Qvin

Qvin & ipse Deus *ineqvitare cœlis & nubibus* dicitur Deut. 33,26. Esa. 19,1. Ps. 18,11. Tum, qvia toti mundo, qvasi sessor eqvo, insidet, omniaq; habenis providentiæ suæ regit & gyrat pro arbitrio Ps. 135,6. Tum, qvod ubiq; adest, & celerrimè ac repentè advolat ad liberandos suos & evertendos hostes, Ps. 34,19. Ps. 91,15. Huc, procul dubio, spectant verba illa Hab. 3,8. *Ascendisti super eqvos tuos, & qvadrigæ tuæ Salvatio.* Ubi per eqvos & qvadrigas intelliguntur aqvæ rubri maris, qvibus, ut fortissimo eqvitatu & curribus falcatis Jehova in Ægyptios impressionem fecit, eosq; prostravit in salutem populi sui, Exod. 13,21.

2. Deus omnia gubernans.

Deo, peccatoribus justam infligenti pœnam, *eqvitandi* verbum tribuitur: Tum, qvia securis & nihil tale metuentibus subitò & celeriter imminet, 1. Thess. 5,3. Tum, qvia illos stringit & coërcet, non secus ac eqves eqvum frœno domat, calcaribus exagitat, Hos. 10,11.

3. Deus peccatores puniens.

Origenes in Exod. cap. 15. & Hieronymus in Ps. 75. qvemvis hominem impium & carnalem dicunt *eqvum*, qvi sessorem habet Diabolum, à qvo ducitur, agitur, stimulatur, ut in qvævis ruat flagitia. Cui congruit illud Jer. 8,6. *Omnes conversi sunt ad cursum suum* [ad scelera & flagitia] *qvasi eqvus impetu vadens ad prælium.*

4. Diabolus.

Homines impii & feroces, qvi miseris ac pauperibus contumeliosè & petulanter insultant, eosq; ut vile aliqvod jumentum, crudeliter tractant, *super capita ipsorum eqvitare* dicuntur, Ps. 66,12.

5. Impii.

Pii à Deo ad temporalem felicitatem, & imprimis ad opum abundantiam evecti *eqvitare super excelsa terræ* perhibentur Deut. 32,13. Esa. 58,14. Qvamvis posteriorem hunc locum Hieronymus & Gregorius 31. moral. c. 9. Item ex novitiis Oecolampadio, Cornelius à Lapide & alii interpretari malint de virtute & sublimi indole verorum Christianorum, qvi in cœlestibus & divinis mente fixi, terrena omnia, etiam eminentissima, magno animo contemnunt, &, amore æternitatis, calcant. Verùm huic expositioni nimis coactæ & ipse contextus, & utriusq; loci jam citati accurata collatio apertè reclamat.

6. Pii.

Rectiùs & convenientiùs adhibetur *eqvitandi* verbum ad exprimendam & adumbrandam prædicationem Evangelii: ubi sacrosanctum ministerium est Eqvus velox & generosus, cui ipse Christus gratia & virtute spiritus sui insidens, corda hominum voce & concione Evangelii ingreditur, eaq; salvificâ Dei cognitione, verâ fide, ejusq; fructibus beat, & ita ad vitam præparat æternam. Hinc *eqvitare* dicitur *super verbum veritatis* Ps. 45,5.

7. Christus.

Hujus *Eqvitationis* insignis extat pictura Zach. 1, 8. & seq. Ubi Propheta in visione sibi oblata, cernit *eqvitem, sedentem in eqvo rufo, & consistentem inter myrtos, qvæ in valle profundâ & obscurâ consitæ erant. A tergo ejus conspiciuntur eqvi rufi, varij,* [discolores] *& albi.* Qvorum conditio scisitanti Zachariæ ita explicatur: *Hi sunt, qvos misit Dominus, ut perambulent terram.* Qvo dicto, mox ipsi, qvasi jam reversi ab itinere illo, expeditionis suæ fructum & effectum ita exponunt: *perambulavimus terram, & ecce tota terra desidet & qviescit.* Qvam vocem excipit *Angelus Jehovæ* [eqves ille inter myrtos] diligenti pro Judæis intercessione: *Domine exercituum, qvousq; tu non misereberis Hierusalem & civitatum Judæ, qvibus iratus es? &c.*

Zach. 1. 8. & seq.

De hac visione admodum obscurâ varie sunt interpretum sententiæ, qvas hìc singulas recensere aut examinare supersedeo. Consideranti mihi & diligentiùs omnia expendenti videtur depingi hoc loco vis & efficacia ministerii sacri, cujus autor est Jesus Christus, *Eqves ille in eqvo rufo inter myrteta*, &c.

Eqves appelatur ob celerem Evangelii cursum, qvod ministrorum operâ

8. &

& ſpiritus ſancti efficaciâ hominum inſtillat animis, Actor. 2, 37. cap. 16, 14. Eſa. 50, 5.

2. *Eqvo inſidet rufo* coloris ignei & ſangvinei, partim ob effuſionem ſangvinis ſui rubicundi in morte & paſſione, qvo gratiam Dei & peccatorum *puniceorum* [Eſa. 1, 18.] remiſſionem in Evangelio nobis exhibitam acqviſivit, Luc. 24, 47. Partim propter vim igneam & virtutem efficaciſſimam, qvâ promovet verbi prædicati curſum Pſ. 147, 15. partim propter ignem tribulationis, qvo piæ Eccleſiæ membra in hac vitâ purgantur 1. Pet. 4, 12. Partim deniq; ob ſangvinariam & igneam vindictam, qvam ab Evangelii hoſtibus juſto judicio exigit, Eſa. 63, 1. & ſeq.

3. *Conſiſtit inter myrtos, ſitas in profundo.* Tum, qvod ante manifeſtationem in carne latuit cum myſterio Evangelii ſui ſub denſâ & obſcurâ umbrâ *myrtorum*, h.e. variorum typorum, ſacrificiorum, ceremoniarum, promiſſionum, prophetiarum, &c. Heb. 10, 1. Tum, qvia poſt nativitatem continuit ſe intra ſuæ gentis pomœrium & myrtetum Matth. 10, 6. cap. 15, 24. Actor. 13, 46. Qvo tempore populus Judaicus, [qvi olim tanqvam myrtus, hoc eſt, arbor amœna fragransq; plantatus fuerat à Domino in hac terrâ Pſ. 80, 9. Eſa. 41. 19.] qvaſi in profundum tenebrarum, errorum, heræſium erat demerſus Luc. 1, 79.

4. *A tergo plures habet eqvos:* Apoſtolos, & fideles veritatis præcones, variis lingvis & dotibus inſtructos, qvos ſtatim ab aſcenſione ablegavit in univerſam terram, ut ſuâ prædicatione per orbem terrarum Chriſtum ejusq; Evangelium circumferrent, Marc 16, 15. Pſ 19, 4. 5. Inter hoſce præcipuus fuit D. Paulus, qvi plurimis regionibus peragratis, ſuâ doctrina & concione Chriſtum in Galliciam, Antiochiam, Cappadociam, & in Italiam deniq; Romam uſq; portavit, omniaq; à Judæâ uſq; ad Illyricum ſacroſancto implevit Evangelio. Nec hodiè ceſſant generoſi eqvi à ſeſſore ſuo Chriſto incitati hunc currere curſum, doctrinam cœleſtem pro virili propagando, Jer. 3, 10. Eph. 4, 11.

5. *Eqvi* illi *ſunt* alii *rufi*, alii *albi*, alii *variegati*, ſeu diverſi vel medii coloris, qvibus varia & diverſa Miniſtorum verbiofficia adumbrari cenſeo. *Rufi* ſunt, dum ex lege iram Dei cum æterna damnatione comminantur obſtinatis: *Albi*, dum in Evangelio gratiam Dei & æternam ſalutem annunciant reſipiſcentibus: *Punicei*, ſeu coloris miſti & medii, dum omnia ritè temperant, & qvodvis ſuo loco & tempore promunt, & auditoribus convenienter aptant.

6. Effectus Apoſtolorum ac fidelium Paſtorum eſt, *reddere terram* qvietam & *tranqvillam*: dum videlicet dulci conſolatione Evangelicâ pacem & tranqvillitatem turbatis afferunt conſcientiis, juxta illud Rom. 5, 1. *Juſtificati ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum Jeſum Chriſtum*, vide 1. Pet. 3, 21. Epheſ. 2, 17. Col. 3, 15. Pſ. 51, 10. Pſ. 19, 9. Eſa. 35, 3. 4. cap. 40, 1. 2. cap. 52, 7. cap. 57, 19. cap. 61, 1. 2. Matth. 11, 28. &c.

7. Ex hoc tam felici progreſſu Evangelii apud Gentes converſas occaſionem ſumit *Angelus Jehovæ* [h. e. filius Dei ad dextram patris conſidens] apud Patrem intercedendi pro Judæis fratribus ſecundum carnem Rom. 9, 5. nè propter execrandam ſecuritatem ſuam & pertinaciam in perpetuum rejiciantur, qvemadmodum meruerant; ſed ut exemplo Ethnicorum provocati, tandem reſipiſcant, atq; ex immani illa cœcitate & obduratione, qvæ per ſeptuageſimalem illam captivitatem Babylonicam olim adumbrata fuit, liberati, Evangelium Chriſti fideli corde amplectendo, cum Deo in gratiam redeant, & ſalutem æternam conſeqvantur. Qvæ omnia pleniùs deduci poſſunt ex capite undecimo Epiſt. ad Romanos & præſertim verſ. 14, 31.

Hoc

Hoc modo viſionem iſtam optimè & commodiſſimè exponi poſſe reor, cujus ſummam compendioſam repetere videtur Zacharias infra cap. 10, 3. Ubi per Prophetam pollicetur Dominus, ſe in locum pravorum *Paſtorum & hircorum* [h. e. Phariſæorum & Scribarum] meliores ſurrogaturum doctores, Apoſtolos nimirum eorumq; fidos ſucceſſores, *qvos ponet qvaſi eqvum gloriæ in prælio*, h. e. inſtruet ſublimibus Spiritus ſancti donis, ut tanqvam eqvi generoſi & ad bellum apti, Chriſtum ſeſſorem corda hominum expugnantem, & imperio ſuo ſpirituali ſubjugantem animoſe circumvehant. Zach. 10, 3.

Sunt qvi in hunc etiam ſenſum trahant viſionem ejuſdem Zachariæ cap. 6. 1. & ſeq. deſcriptam, de *qvatuor qvadrigis ex medio duorum montium æneorum egredientibus, qvos eqvi robuſti diverſorum colorum trahunt*, &c. Ubi allegoricè per *qvatuor* illas *qvadrigas* intelligunt *qvatuor Evangelia*, per *duos montes æneos* duo teſtamenta, per *Eqvos* Apoſtolos, per *diverſos colores* varias dotes ac virtutes, qvibus Apoſtoli imbuti ſalutarem Evangelii doctrinam ad qvatuor mundi cardines, h.e. per totum orbem extenderunt. Zach. 6, 1. & ſeq.

Ruſi ſunt hi eqvi ob zelum ardentem, Act. 6, 10. 15. & martyrium Joh. 16, 2. 1.

Nigri ob modeſtiam Cant. 5, 11. deſpectum Cant. 1, 5. Thren. 4, 1. 2. tribulationes Thren. 2, 1. Joel. 2, 2. Sophon. 1, 15. & in obſcuris Chriſti myſteriis enodandis miram ac profundam ſapientiam, 1. Cor. 13, 12. 2.

Albi propter doctrinæ puritatem, cordis candorem, vitæ integritatem, Pſ. 51, 9. Apoc. 7, 13. 3.

Varii [מרוקים hoc eſt, grandinei ſeu maculis conſperſi] ob varia miracula, qvæ ediderunt, mala, qvæ perpeſſi ſunt; gentes, qvas converterunt. 4.

Robuſti ob perpetuam in his omnibus agendis & perferendis conſtantiam. Vide Hieronymum in hunc locum & Alcaſar. in cap. 6. Apocal. notat. 5. 5

Inſpice & confer qvæ habentur Apoc. 6, 2. cap. 19, 11. Ubi Chriſtus conſpicitur *albo inſidens eqvo*, per qvem intelligimus Apoſtolos & viros Apoſtolicos, qvi, inſtar eqvi velociter currentis, fidem Jeſu Chriſti toto orbe celeriter propagârunt. Apoc. 6, 2. cap. 19, 11.

Gregorius lib. 31. Moral. c. 11. huc qvoq; trahit verba Jobi 39, 19. 20. *Numqvid præbebis eqvo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Numqvid ſuſcitabis eum qvaſi locuſtas? Gloria narium ejus terra, terram ungulâ fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis*, &c. Qvæ omnia Gregorius doctori applicat Evangelico: *Eqvus* eſt, inqvit, prædicator, qvi habet *fortitudinem*, qvia adverſa conſtanter tolerat, habet *hinnitum*, qvia ad ſuperna blandiens vocat: Eqvo ſuo Dominus & cum actionis *fortitudine hinnitum* vocis, & cum *hinnitu* vocis *fortitudinem* miniſtrat actionis. *Terram ungulâ fodit*, id eſt, qvicqvid in mente ſua terrenum verſari conſpicit, hoc nimirum ſuperductæ pœnitentiæ duris percuſſionibus rumpit. Eqvus Dei *exultat audacter*, & exteriora tormenta non metuit, qvia internam delectationem qværit: poteſtatum mundi iracundiam non formidat, qvia ipſius qvoq; vitæ præſentis deſiderium per mentis exceſſum calcat. *In occurſum pergit armatis*; intueri libet illum ſeſſoris ſui calcaribus excitatum contra armatos hoſtes, &c. qvantus Paulum fervor accenderat, qvando eum Epheſi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat, Actor. 19. & 21. *Ego*, inqvit, *non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum pro nomine Domini Jeſu*: contemnit pavorem, nec cedit gladio, &c. Hæc & plura habet ibidem Gregorius. Job. 39, 19. 20.

8.

Virga & Baculus.

DUo occurrunt *baculi* in hoc cornu diversissimæ formæ : alter extat in primi circuli posteriori serie, qvi ob tenuitatem haud absurdè *virga* diceretur : alter in qvarto apparet circulo, densior atq; firmior, qvi pro *pedo pastoritio* non ineptè accipitur. Solet autem Baculus non unum usum præbere pastori. 1. Est ipsi scipio seu fulcrum, cui fessus innititur. 2. Est index seu sceptrum, qvo monstrat viam, & regit oviculas, nè à pascuis aberrent. 3. Est virga, qvâ percutit dilapsuras aliò aut temerè divagantes, aut etiam negligenter seqventes. 4. Est deniq; telum, qvo pugnat in lupos, aliasq; feras rapaces. Respectu usus illius qvadruplicis, in qvatuor distribuemus classes, qvæcunq; Spiritus Dei nomine aut figurâ Baculi innuit in sacris monumentis.

1. Cùm non modò Pastores baculis, qvibus se sustineant, uti consveverint, sed etiam senes Zach.8,4. Claudi & debiles, 2.Sam.3,29. Exod.21,19. Item viatores pedibus iter aliqvò facientes Gen.32,10. cap.38,18. Exod.12,11. Marc.6.8. Notatur voce *Baculi* omnis generis auxilium & subsidium, qvo nititur qvis & sustentatur. Sic filius dicitur *Baculus senectutis* parentum, Tob.5,25. confer c.10,5. Et vigor seu fultura panis, qvæ nos alit & sustinet, *baculus* nominatur, Levit.26, 26. Ps.105,16. Ezech.4,16. cap.5,16. cap.14,13. Esa.3,1. Hoc pacto ipse Deus *Baculus* audit piorum, cujus innixi præsidio, fortiter excipiunt omnium tempestatum & adversitatum fluctus 2.Sam 22,19. Ps.18,19. Ps.23,4. Unde veteres Deum figurabant qvasi *Baculum stantem*, teste Pierio lib. 33. Hieroglyph. qvia perpetuo in excubiis stat pro salute suorum : Vel, ut Cyrillus loqvitur lib. 9. contra Jul. qvia *stat immobilis, omnia sustinens & firmans*. E contrario auxilia humana, qvæ magis noxia qvam salutaria esse solent, nomine *baculi* sed *arundinei* insigniuntur, 2.Reg.18,21. Esa.36,6. Ezech.29,6.7. &c.

Qvod vis subsidium.

Deus auxilians.

2. Cum baculum seu Virgam adhibeat Pastor in ovibus regendis pariter & numerandis Lev.27,32. Jer.33,13. Symbolum est regni, dominationis, autoritatis, potentiæ, ut ; Gen.49,10. Jer.48,17. Ps. 74,2. Unde Reges qvondam pro sceptro gerebant virgam pastoralem seu baculum ligneum, uti constat ex Ezech. cap.19,11. Hoc ipso indicantes, sese officium boni pastoris in subditis suis, qvasi ovibus benignè regendis & tractandis exeqvi. Qvamobrem Homerus Agamemnonem vocat ποιμῆα λαῶν *pastorem populorum*. Ita Aaronis virga, qvæ subitò germinans, produxerat amygdalas, figura & indicium fuit potestatis & regiminis ecclesiastici ei ejusq; familiæ divinitus consignati Num.17,8. Et Moses à qvo tempore princeps & magistratus à Domino constitutus fuerat, semper usus est virgâ suâ loco sceptri in populo docendo, gubernando, & miraculis qvamplurimis edendis : ut legere est Exod.cap. 4. & seq.

Sceptrum regale.

Ipsi etiam Christo in regno spirituali Ecclesiæ suæ erigendo & administrando *virga* tribuitur Psal,110,2. more videlicet Regum mundanorum virgas aureas seu sceptra, ut Symbola majestatis potentiæ gestantium Esther. 4, 11. c.5. 6. &c. Davidi etiam hæc annuncianti adsunt duo nobilissimi Interpretes, *Esaias* cap.2,3. & *Micheas* cap. 4,2. qvi uno ore nobis exponunt, qvidnam per *virgam* illam *proditurum è Sione* intelligendum, dicentes : *de Sion exibit lex, & verbum DOMINI de Jerusalem*. Hoc nimirum sceptro, *verbo DOMINI*, constituitur & administratur Regnum Christi, non armis, non gladio aut vi corporali. Egressa fuit virga illa è Sion cum Apostoli in urbe Hierosolymitanâ statim post effusionem Spiritus sancti initium facerent prædicationis Evangelii,

gelii, qvod postea magnâ Spiritus S. virtute per totum terrarum orbem diffuderunt, Luc.24,47.

Porro regalis hæcce virga Christi eximio ornatur epitheto, Psal. 45, 7. ubi vocatur *virga directionis* מישור hoc est, rectîtudinis, æqvitatis, vel (ut Apostolus Heb. 1, 8. cum LXX. interpretatur) εὐθύτητος. Qva voce non tantùm exprimitur justissima hujus Regis dominatio, qvi absq; omni προσωποληψία jus æqvaliter administrabit, nec pro affectu ac libidine nunc in hanc, nunc in illam partem curvabit aut inflectet : sed vel imprimis innuitur vera indoles Evangelii prædicati, qvod *virga rectitudinis* meritò audit : Tum, qvia rectam & infallibilem commonstrat viam (Christum cum suo merito) qvâ incedent, qvicunq; ad vitæ & beatitudinis æternæ consortium pervenire cupiunt, Joh.14, 6. Tum, qvia rectè & directè absq; omni odio aut favore omnibus pœnitentiam agentibus & verâ fide confugientibus ad Christum, gratiam & vitam, impiis verò pertinaciter in contumaciâ suâ perseverantibus iram & mortem æternam annunciat, Marc.16,16. Tum deniq;, qvia rectum hominis converti officium describit ; qvid nimirum faciat, fugiat, ferat, qvo fidem suam rectis & genuinis fructibus rectam & ingenuam esse demonstret, Esa.48,17. Mich.6,8.

Ne qvis verò autumet spiritualem hunc Regem, qvasi officii sui pastoritii interim oblitum, subditos regni sui aliter ac oves tractare, ecce prodit Vates Micheas, & nomine totius Ecclesiæ ab ipso postulat, ut hanc *virgam* suam (sceptrum regium) more benigni Pastoris expedire dignetur : *Pasce populum tuum in virgâ tuâ*, Mich.7,14. Cui ipse Salvator qvasi respondet, Zach.11, 7. se in pascendis ovibus suis *duas* sibi assumpsisse *virgas*, qvarum alteram vocat נועם h. e. *amœnitatem*, alteram חבלים h. e. *funiculos* : Qvibus duas partes capitales doctrinæ cœlestis, *Legem* & *Evangelium* designari statuunt unanimiter cum B. Luthero meliores Theologi. Est namq; concio Evangelii *suavis & jucunda* perturbatis conscientiis Ps.19,11. Ps.51,10. utpote, qvæ *medetur contritis corde, & prædicat captivis indulgentiam* Esa. 61,1. Contrâ doctrina Legis terroribus & angustiis ita stringit & coarctat peccatoris conscientiam, ut qvasi carceri & vinculis irretitam se sentiat, Ps.6,3.4. Job.19,8.

Nolim hîc à tam nobili materia abducere Lectorem ad veterem Chaldæorum ῥαβδομαντείαν, qvi per baculos etiam divinabant, se ex horum inspectione futura cognoscere & agendi modum addiscere posse arbitrati. Romanos qvoq; auguria per virgas olim exercuisse annotat Livius libro primo in Romuli historia. Qvonam autem modo ac ritu hoc factum sit, commemorat Rhodiginus lib. 4, 29. & Delrio lib. 4. disqvisit. Magic. cap. 2, 9. 7. Sect. 1. Qvam superstitionem Idololatricam tandem etiam apud Judæos invaluisse, qveritur Hoseas Vates cap.4, v.12. *Populus meus in ligno suo interrogavit, & Baculus ejus annunciavit ei*, &c.

3. Tertius usus baculi seu virgæ est, qvod hoc instrumento non modò Pastor pecudes ferocientes coërceat, Num.22,27. sed etiam Pater filium immorigerum castiget Proverb. 23,13.14. cap.29,15. Dominus servum flagitiosum cædat, Exod. 21,20. Hoc respectu est hieroglyphicum correptionis & castigationis Prov. 10, 13. præsertim divinæ Jer.1,11. Mich.6,9. Qvæ nonnunqvam *verbis* tantùm peragitur à Concionatore cordato auditores ob peccata graviter objurgante; qvomodo hanc phrasin usurpat Paulus, inqviens : 1.Cor.4,21. *Qvid vultis? ut cum virgâ* [hoc est, acri & severâ objurgatione] *veniam ad vos, an cum charitate & spiritu mansvetudinis?* Item Esaias cap.11,4. *percutiet* [Christus] *terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Confer Num.24,17. & 2. Thes.2,8.

Castigatio.

Sæpe etiam à Deo corripiuntur homines *realiter*: h.e. calamitatibus & miseriis, qvæ hac ratione *virgæ* nominantur, Job.21,9. Ps.89,33. Ezech.20,37.

4. Deniq; Baculus telum qvoq; est non modò pastorale sed etiam militare, uti liqvet Ezech.39,9. Hinc David egressurus in duellum adversus Goliathem, abjecto gladio, baculum seu pedum suum assumpsit, utpote qvo dudum leonem atq; ursum confecerat, 1.Sam.17,35.40. Nec raro fortissimi etiam bellatores fustibus seu grandioribus baculis rem egerunt, ob aliorum armorum defectum. Plinius lib.7.cap.56. refert, qvod prælium Afri contra Ægyptios primi fecerint fustibus, qvos vocant phalanges. Virgilius 7.Ænead. inter arma, qvæ plebi iratæ ministrat furor, recensetfudes præustas. Hoc respectu Baculus est typus Ultionis divinæ, qvæ bello aut aliis malis publicis exercetur: operâ Tyrannorum, ceu apto instrumento: unde titulum *virgæ* & *baculi* participant & ipsi tyranni, Esa.10,5. & immanis ipsorum sævitia Ps.125,3. Prov.22,8. Esa.9,4. cap.10, 24. cap.14,5. cap.30,31. Ezech.7,11. Mich.4,14.

Tyranni.

Præterea cum hæc Dei virga longè aliter se habeat in impiorum qvàm piorum castigatione, diversas sortitur descriptiones & epitheta. Pœna namqve piis qvocunq; modo inflicta appellatur *virga virorum & plaga filiorum hominum* 2.Sam.7,14. Qvod scilicet more non hostili sed humano & paterno Deus pœnas sumit de suis: qvæ sententia uberius explicatur Ps.89,34. Hos. 11,8.9. Malum verò, qvo improbi ac pœnitere nescii flagellantur, dicitur *virga* & *baculus furoris*, qvod per illud Dominus iram atq; indignationem suam in ipsos effundit, Esa. 10,5. Thren.3,1. Item *virga ferrea*, qvod facile & nullo negotio Tyranni & hostes Ecclesiæ, qvantumvis magnis viribus videantur instructi, hac virgâ vindictæ divinæ everti possunt atq; in æternum detrudi exitium Ps.2,9. Apocal.12,5. cap.19,15. Confer Esa.30,14. Jer.19,10. Augustinus enarrat in Psal. LVIII. breviter sed scitè explanat hanc phrasin, inqviens: *Ille Rex virgam ferream gerit, qvâ & regit & frangit.* Et paulo post qværit: *Qvos regit? qvos conterit?* Resp. *regit obedientes, conterit resistentes*, &c.

Virga humana.

Virga furoris.

Virga ferrea.

9.
Gladius & Arcus.

Bellum.

Gladius & *Arcus* erant qvondàm præcipua militum arma, qvi cominùs gladio, eminùs arcu pugnabant in hostem: unde hæc duo tela non rarò denotant ipsum *bellum*, item *actum* aut vim & *virtutem præliandi*, vel ambo conjunctim positi, Gen.48,22. Jos.24,12. Esa.21,15. cap.41,2. Hos. 1,7. cap.2,18. Ps.44,7. &c. vel separatim ut *Gladius* Lev.26,7.8. 2.Sam.11,25. Esa.2, 4. Jer.9,16. cap.14,13. cap.29,17. Thren.1,20. Ezech.5,12. cap.6,3. cap.7,15. cap.11, 8. cap.38,21. Mich.4,3. cap.5,6. &c. *Arcus* Ps.46,10. Jer.50,14. cap.51,11. 56. Ezech. 39,3. Thren.2,4. Zach.9,10. Ps.18,35, &c.

Cùm Gladius, Arcus & Sagittæ in eo conveniant, qvod corpus hominum vehementer lædere, vulnerare, necare possint, significant hoc respectu rem qvamlibet valdè noxiam, ut *molitiones & conatus impiorum* adversus pios Ps.11,2. Ps.37,14. *Lingvam mendacem, minacem, calumniatricem*, Job.5,15. Ps.55,22. Ps. 57,5. Ps.59,8. Ps.64,4. Prov.25,18. cap.26,18. Jer.9,8. Sir.28,20. *Cædes & interneciones*, Deut.32,42. 2.Sam.12,10. Imo qvasvis *graviores pœnas & calamitates*, uti constat de *gladio*, Esa.1,20. Jer.25,27.29. Luc.2,35. de *arcu* Deut.32,23. Psal.64,8. de *utroq;* Psal.7,13.14.

Qvævis res valdè noxia.

Porrò expulsa arcu sagitta hoc sibi præ gladio peculiariter vendicat, qvod 1. celerrimè per aêrem transeat, nullum sui relinqvens vestigium. 2. non tantum

tum propè stantes, sed etiam procul distantes feriat. 3. altius penetret & periculosius sauciet. Exempla vid. 1.Reg.22,34. 2.Reg.9,24. 2.Paral 35,25. In primo respectu est figura *vitæ humanæ, omnium̃q; rerum terrenarum* Sap.5,13. Item *fulgurum & tonitruum* Ps.18,15. Ps.77,18. Ps.144,6. Hab.3,11. In secundo denotat *pestem* Ps.91,5. *famem* Ezech.5,16. & imprimis *effectum lingvæ calumniantis* Ps.120,3. In tertio respectu adumbrat internos animi dolores, & *angorem afflictæ conscientiæ* Job.6,4. Ps.38,3. & præsertim *maligni spiritus tentationes*, Eph.6,16.

Vita humana. Fulgura. Pestis. Fames. Calumnia. Angor conscientiæ.

Contra, Gladius non modò in publico belli conflictu, ut arcus, sed in qvavis etiam alia occasione, est ordinarium ferè telum, qvo homines alii alios interficiunt. Qvo nomine designat in genere *mortem violentam* qvocunq; modo illatam Exod.18,4. Ps.22,21. Ps.144,10. Job.27,14. Rom.8,35. Heb.11,37. &c. Nec non ipsam ultionem divinam flagitia hominum lethiferis vindicantem supplicii Lev.26,25. Esa.27,1. cap.34,6. Jer.12,12. cap.50,35.36.37. Ezech.21,8.15.16. cap. 38,21. Amos 9,1. &c. Hinc Angeli judicium Dei executuri sæpissimè visi sunt gladios strictos gestare manibus, Gen.3,23. Num.22,31. Jos.5,13. Ezech.9,2.

Mors violenta. Ultio divina.

Restat ut duo hæcce tela, *gladium* & *arcum* cum sagittis de rebus qvoq; mysticis & spiritualibus usurpata perpendamus. Psalmus 45. Jesu Christi cœlestis sponsi ornatum pariter & armaturam describens, pingit illum & *gladio accinctum* v.4. & *sagittis instructum* v.6. Qvemadmodum autem ipse coram Pilato professus est, *regnum suum non esse de hoc mundo*; ità nec *arma militiæ ejus carnalia esse*, cum Apostolo meritò statuimus, 2.Cor.10,4. Proinde accipienda sunt hæc tela non tam de robore & fortitudine bellicâ hujus Regis, qvâ hostes externos adversus Ecclesiam insurgentes reprimere ac depellere, & suos defendere ab injuriâ possit; qvàm de efficaciâ verbi prædicati, qvo ceu gladio ancipiti & sagittis acutissimis transfigit corda hominum, ut sese illi totos dedant, & obsequio ejus subjiciant, 2.Cor.10,4.5.6. Hinc Messiam sic loqventem introducit Esaias cap. 49,2. *Posuit* (Dominus) *os meum qvasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetrâ suâ abscondens me.* Est enim idem ac si diceret: armavit me verbo suo efficacissimo, qvod propter vim penetrandi gladio & sagittis comparatur. De hac sagittâ & gladio dici meritò potest, & jure potiori, qvod David qvondam prædicavit de sagittâ Jonathæ & gladio Saulis, 2.Sam.1,22. *Sagitta Jonathæ nunqvàm rediit retrorsum, & gladius Saulis non est reversus inanis.* Plura videantur de hac significatione *Gladij*, Ephes.6,17. Heb.4,12. Ps.149,6. Apoc.1,16. cap.19,15. *Arcus* Zach.9,13. Apoc.6,2. &c.

Efficacia verbi.

10.
Securis.

Gladio & Arcui subjungimus *Securim*, utpote qvæ ab illis non adeò discrepat nec effectu nec significatu. Duæ autem in hoc cornu conspiciuntur secures, una in tertio, altera in qvarto circulo, utraq; in altum sublata & parata ad cædendum.

Securim & aciem inter instrumenta fabrilia præcipuè numerari, nemo ignorat, qvâ non modo arbores in sylvis succiduntur, Deut.19,5. cap.20,19. Jud. 9,15. 2.Reg.6,5. cap.18,4. &c. sed ligna etiam secantur, fabricantur, præparantur, Esa.44,13. Jer.10,3. 1.Reg.6,7. cap.7,2.12. Cum igitur homines arboribus, urbes & respublicæ sylvis seu lucis assimilentur, utiq; non rarò & illorum interitum ac mortem violentam, & harum eversionem, nomine ejusmodi *excisionis*, qvæ securi perpetrari solet, exprimit scripturæ stylus: uti patet de hominibus Ps.37,22.38. Prov.2,22. Esa.11,13. cap.19,20. cap.22,25. Jerem.44,7. Ezech.14,13.17. cap.21,

Hominum internecio.

cap.21,3.4. cap.25,13. Amos 1,5.8. cap, 2,3. Mich. 5, 8. Mal. 2, 12. &c. de integra familia 1. Reg. 14,14. 2. Reg. 9,8. &c. de totâ tribu Jud. 21,6. de universâ gente Jos. 23, 4. 1. Reg. 9,7. de urbibus Mich. 5,10. de imperiis Esa. 14,12. Jer. 50,23. &c.

Urbium & imperiorum eversio.

Hinc Psalmista describens horribilem istam urbis & templi Hierosolymitani vastationem, pingit hostes hæc perpetrantes non aliter ac si qvis in sylvis magnas arbores securi dejiciat Ps. 74,5.6. Et Jeremias exercitum Chaldæorum fundentium milites Ægyptios, eorumq; terram, villas, civitates miserrimè diruentium, comparat cum lignatoribus, qvi totum saltum securibus exscindunt. *Cum exercitu*, inqvit, *properabunt, & cum securibus venient, ei, qvasi cædentes ligna; succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qvi supputari non potest*, cap. 46,22.23. Rex itidem Assyriorum Sennacherib nomine *securis* appellatur, Esa. 10,15. Ubi magna ipsius insolentia, qvi sibi suæq; industriæ, sapientiæ & fortitudini tribuebat illas victorias, qvibus Deus Judæos aliasq; gentes attriverat, redarguitur hac objectione: *Numqvid gloriabitur securis contra eum, qvi secat in eâ?*

Hostis.

Deniq; huc respiciens Johannes Baptista, excidium extremum & atrocissimum populo imminens Judaico, hac delineat similitudine: *Jam securis ad radicem arborum posita est: Omnis ergò arbor, non faciens fructum bonum, exciditur & in ignem conjicitur*, Matth. 3,10. Luc. 3.9.

extremum excidium.

II.

Funis.

Vidimus diversa instrumenta, qvibus corpora & hominum & belluarum violari, lauciari, occidi possunt: seqvitur *funiculus*, qvi ut hic collum involvit bestiæ capite humano præditæ, in alterâ serie circuli primi absqve ulteriori noxa, ita homines vel bestias coërcere potiùs qvàm lædere aut affligere solet.

Qvemadmodum *funis* adhibetur ad efficiendas res varias & diversissimas, ita etiam alias atq; alias recipit significationes apud Scriptores sacros, qvæ ad duas classes revocari possunt: Alia enim denotat qvatenus rebus inanimatis, alia qvatenus animatis applicatur. Prioris generis significata, ut alieniora à præsenti negotio, parcius libabimus.

Funiculis olim dimetiebantur agros, dividebant hæreditates, projiciebant sortes, Mich. 2,5. Amos 7,17. Qvod etiamnum apud nostrates in usu est, qvoties incidit controversia de limitibus agrorum, rurum, sylvarum, de qvo pluratradit Jus Danicum at deele til Reebs/ &c. Hinc *funiculus* stylo Scripturæ notat hæreditatem, portionem aut sortem cuiq; debitam Deut. 32.9. Jos. 17,14. Ps. 16,6. Ps. 78,55. Ps. 105,11. Ezech. 47,13. Sophon. 2,5. &c.

Demensum

Funiculo utitur Architectus, qvem æqvâ extensum rectitudine librare solet pondere plumbeo, ut ad perpendiculum ædificia vel construat, vel destruenda complanet, nè qvid inæqvale, curvum, hians vel impolitum relinqvatur. Hinc funiculus respectu urbium, domuum, ædificiorum significat nunc ædificationem ut Ezech. 40,3. cap. 47,3. Zach. 2,1. nunc verò plenam demolitionem & vastitatem ut Thren. 2,8. 2. Reg. 21,13. si ab ædificiis ad ipsos homines transferre hoc libeat, exemplum extat 2. Sam. 8,12. de gente Moabiticâ, qvam David à se devictam & humi prostratam ita mensus est funiculo, ut duabus partibus internecioni designatis, tertiam sibi in servitia reservaret.

Ædificiorum extructio & destructio.

Cum ex funibus etiam fiant Nervi arcuum, qvibus excutiuntur sagittæ ad feriendum; sagittæ autem excussæ denotent plagas vehementes & acerbas, uti anteà ostendimus: Hinc Deus dicitur *in funibus suis dirigere* [scilicet sagittas] *contra*

Vindicta divina.

contra faciem impiorum Ps. 21,13. Qvando nimirum pœnas justas ac debitas illis immittit.

Hæc & hujus generis alia mittentes, tantùm ea dispiciemus, qvæ notione funiculorum exprimuntur, qvatenus homines vel animalia illaqveant, sicuti apparet in cornu nostro bestia humano capite, qvæ obtorto collo trahitur funiculo. Hoc respectu funes interdum sunt *vincula*, qvibus ligantur captivi, Jud. 15,13. cap. 16,8. Ex funibus parantur *laqvei*, qvibus aves aut feræ irretiuntur Eccl. 9,12. funibus *juga* alligantur ad colla boum, &c. Qvemadmodum autem *vincula* homines, *laqvei* feras & aves, *juga* boves non nisi invitos constringunt, ex qvibus extricare sese totis viribus allaborant: Ita qvæcunq; nomine & figurâ *funiculi* veniunt in sacris monumentis hoc qvidem respectu, qvandam servitutem & subjectionem inferunt, ut, Jer. 2,20. cap. 27, 2. ideoq; homini adversa, violenta, molesta vel sunt vel esse saltem putantur, qvæ proinde ad duo referuntur genera. Ad prius pertinent, qvæ in se revera sunt mala, ad posterius qvæ in hominum opinione tantùm mala esse videntur.

Inter res verè malas & noxias primo loco nominamus peccata, qvæ *funes* appellantur, qvoniam impios, à qvibus protervè perpetrantur, sic vinctos & qvasi constrictos tenent, ut debitum sceleribus suis supplicium effugere nunqvàm possint. Id qvod Salomon insinuat Prov. 5,22. *Iniqvitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Ex hoc loco etiam manifestè patet, qvinam sit *laqveus* ille *Diaboli*, qvo impios ac impœnitentes *captivos ducit*, 2. Tim. 2,26. confer qvoad phrasin, Esa. 30,28. Thren. 1, 14. qvò ad rem Joh. 8, 34. Ephes. 2,2.

1. Peccatum.

Deinde pœnæ peccatorum & ingentes præsertim calamitates hoc qvoqvè dotantur titulo, uti patet ex loco illo Job. 36,8. *Si fuerint in catenis* [loqvitur de Regibus impiis] *& vinciantur funibus afflictionis*, &c. Qvæ verba non tam de corporali aliqvâ captivitate, qvæ injustos etiam Reges ac Principes justo Dei Judicio nonnunqvam manet, ut Manassem, Zedechiam, &c. qvàm de qvibusvis in genere gravioribus miseriis, ut morbo, fame, paupertate, servitute, qvæ corpus, ut tristiciâ, & curis, qvæ animum, instar compedum & vinculorum, constringere & irretire solent, vid. Thren. 3,7.9. Ps. 142,8. Ps. 68,7. Ps. 107, 10. Optimè hoc explicat Gregorius homil. 12. in Ezechiel: *Habemus*, inqvit, *compedes, ipsam infirmitatem & corruptionem mortalitatis nostræ: sed cùm tribulatio nobis & gemitus additur, ipsæ naturæ compedes aggravantur.* Atq; hi sunt *laqvei* [mala subita & inopinata] *qvos pluit Dominus super peccatores* Ps. 11,6. *Qvi veniunt hostibus Dei inopinatò* Ps. 35,8. Esa. 24,17. Jer. 48,43. *In qvos mensa eorum convertitur* Ps. 69,23. Qvibus olim *circumdatum fuisse* afflictissimum *Jobum* affirmat Eliphas, Job. 22,10.

2. Ingens calamitas.

In specie vox *funis* designat 1, Vim & tyrannidem illam, qvam impii exercent in fideles, Ps. 129,4. conf. Ps. 124,7. 2. Callida eorundem consilia, fraudes & conspirationes adversus pios Esa. 5,18. Ps. 119,61. Ps. 140,6. Job. 18,10. confer Ps. 35,7, Ps. 38,13. Ps. 64,6. Ps. 119,110. Ps. 142,4. Jer. 18,22. Hos. 5,1. &c. 3. Dolores mortis & terrores inferni, Ps. 18,5.6. 2. Sam. 22,6. confer Prov. 13,14.

3. Tyrannorum vis & fraus. Terror mortis & inferni.

Porrò nonnulla significat *funiculus*, qvæ homini qvidem molestiam interdum creare videntur, sed revera bonum & commodum ipsius promovent, ceu sunt:

Ipsa doctrina Jesu Christi ministerio Apostolorum ad Ethnicos etiam promulgata, qvam illi durissimam captivitatem interpretati, partim, qvia rationi humanæ è diametrò adversatur, Rom. 7,23. Gal. 5,17. 2. Cor. 10,5. partim, qvia super-

1. Doctrina Christi.

superstitiones & cultus idololatricos ab ipsis pro arbitrio institutos redarguit, Joh.16,2. partim qvod peccatorum commissorum abominationem exaggerat, simulq; iram Dei & pœnas gravissimas denunciat, Rom.1,18. & seq. Partim deniq; qvod mores & vitam ipsorum in ordinem cogere & restringere ad præscriptum Evangelii præsumit, Tit.2,12. Qvare oderunt & execrantur hanc doctrinam, tanqvam vincula & carceres, qvam ideò oppugnant & delere conantur: *Disrumpamus vincula eorum* [Apostolorum & fidelium doctorum] *projiciamus funes ipsorum* Ps.2,3. Confer qvoad phrasin Jer.5,5. Zach.11,7. Matth.11,30. qvoad rem Sap.2,12.14.15. Job.21,14. Luc.19,14.

2. Organa conversionis nostræ.

Præterea nomine funiculi indigitantur omnia illa media, qvibus utitur Deus in homine convertendo & ad obœdientiam statutorum suorum perducendo, ut sunt: seriæ adhortationes, promissiones jucundæ, varia beneficia, castigationes paternæ, &c. Ita accipiendam esse reor promissionem illam Hos.11, 4. *Funiculis hominum* [hoc est, humanis, amabilibus, ut 2.Sam.7.15.] *traham eos, vinculis amoris*, &c. confer Jerem.31,3. Cant.1, 4. Nescio an hùc referre debeam illud Bernhardi, qvi triplici vinculo dicit animam colligari Deo. 1. *honestate & promissione qvasi fune.* 2. *timore inferni qvasi clavis*, de qvo dicitur Ps.118. *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* 3. *Amore qvasi glutino*, &c.

3. ἐξουσία Magistratus.

Per *funem* intelligitur imperium, dominatio & autoritas Magistratus, cujus legibus & mandatis, veluti funibus qvibusdam colligantur subditi, non secus ac jumenta injectis frenis, habenis, capistris, domantur, coërcentur, reguntur, Ps.32,9. Atq, hunc esse sensum autumo qverelæ Jobi cap.30,11. *Funem meum* [h.e. autoritatem meam, qvâ prius coërcebam & continebam in officio istos homines] *solvit* [Deus] *& afflixit me: & ipsi* [homines vilissimi] *frænum suum coram facie meâ dimiserunt*, hoc est, nunc qvasi excusso obedientiæ & reverentiæ fræno superbè adversus me insurgunt, confer Job.12,21. Ps.107,40.

12.

Speculum.

HActenus in illis enodandis occupati fuimus, qvæ hominem tangere & contrectare solent: sequuntur nonnulla, qvæ extra nos, ob oculos tamen nostros, constituta, res gravissimas commonstrant. Inter qvæ primum locum sibi vendicat *speculum*, qvod apparet in circulo qvinto.

Verbum revelatum.

Speculum in sacris hieroglyphicum esse verbi revelati, & præsertim legis divinæ, nemo facilè ibit inficias. Unde Augustinus tractatum suum, extantem in tomo tertio operum ipsius, & selectiora totius Scripturæ loca de bonis moribus & operibus Christianorum complectentem, inscripsit *Speculum*: si modò libellus iste sit Augustino asscribendus.

Duplici autem nomine sustinet hunc *speculi* titulum Verbum seu Scriptura sacra. 1. Respectu nostri. 2. Respectu ipsius Dei.

1. Speculum hominis.

Cum *speculum* purum & accuratum vivam qvasi imaginem exhibeat vultus humani, & qvid in eo pulchrum ac decorum, qvid itidem deforme & maculosum sit, manifestè absq; omni tergiversatione ostendat, hinc figura & typus legis divinæ merito existimatur, qvæ naturæ nostræ corruptionem ac hummam depravationem detegit, & apertè indicat, qvid nobis desit tùm in externâ vitâ, tùm in intimo cordis recessu, Rom.3,20. Hinc Jacobus Apostolus hominem conciones qvidem legis audientem, indeq; nævos, sordes, maculas & vitia sua animadvertentem, sed de iis abstergendis & emendandis parùm sollicitum, ita describit: *Si qvis audiat verbum, nec illud factis exprimat, hic similis est viro, consideranti*

deranti faciem nativitatis suæ in speculo: Considervit enim seipsum, & abiit & continuò oblitus est, qvalis esset, cap.1,23,24.

Speculum Dei.

2. Deinde ipsius etiam Dei imaginem repræsentat hoc verbi divini speculum, ejusq; & voluntatem & essentiam describit Joh.5,39. Qvo respectu Scriptura titulo speculi donatur à Paulo 1.Cor.13,12. *Cernimus nunc* [Deum] *per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem*, &c. conf. 2.Cor.3,18. Et Salomon veram sapientiam in verbo revelatam vocat *speculum majestatis Dei, expers maculæ, & imaginem bonitatis ejus*, Sap.7,26.

13.

Stella.

Stellæ commendantur imprimis à pulcherrimâ suâ luce, qvâ ex ordinatione divinâ totum orbem noctu illustrant. Sap.10,17. Jer.31,35. Bar.3,34.35. Ps. 136,9. unde dicuntur *stellæ micantes* Job.38,31. *stellæ luminis* Ps.148,3. Κόσμος φοτιζων, *ornatus illuminans in altissimis Domini* Sir.43,11. Proindè hoc nomine illa tantùm condecorantur, qvę vel conspicuis virtutum radiis coruscant, vel suo etiam jubare & lumine alios simul irradiant.

1. Christus.

Ipse Christus *stella* appellatur Num.24,17. Apoc.2,28. cap.22,16. Cujus appellationis ratio redditur Joh.1,9. c.2,19. c.8,12. c.9,5. c.12,46. Luc.1,79. 2.Pet.1,19.

2. Angeli.

Angelos bonos tum propter essentiam suam spiritualem, puram & plenam lucis, Ps.104, 4. tum propter excellentia sua dona, *stellas* nuncupari statuunt illi, qvi de Angelis interpretantur locum Job.38,7. *Ubi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei*, Conf. Esa. 6,3.

3. Verbum Domini.

Stella illâ peculiari & miraculosâ, qvæ facem qvondam prætulit Magis ad Christum recens natum contendentibus Matth. 2,2. figurari verbum Domini docent sanioresTheologi. Hanc qvippe stellam à Deo in medio cœli ecclesiastici etiamnum positam videmus, de qvâ Petrus Apostolus 2.Epist.1,19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui attendentes ceu lucernæ lucenti in loco caliginoso, rectè facitis*, &c. Et David Ps.119,105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Hanc lucem & facem si fideliter sequamur, nunqvàm in errorem religionis incidemus, neq; in scelus aliqvod ruemus, multò minus in æternas tenebras absorbebimur, sed ductu illius ad Christum in regna perveniemus cœlestia, Luc 11,28. Rom.1,16. &c.

4. Pii Doctores.

Doctores qvoq; Ecclesiæ hoc titulo sæpiùs dotantur à Spiritu S. qvod radiis syncerę doctrinæ, vitæq; sanctimoniâ sic auditoribus prælucere debeant in Ecclesia, ut stellæ lucentes in firmamento totum illustrant mundum. Hinc nominantur *lux mundi* Matth.5,14. vide Dan.8,10. Sir.50,6. Apoc.1,16.20. cap. 8, 10. cap.9,1. cap.12,4. &c.

5. Omnes electi.

Deniq; omnes sanctos æternæ beatitudinis participes cum stellis confert Apostolus 1.Cor.15,41. *Stella*, inqvit, *à stellâ differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum.* Singulæ qvidem stellæ suâ pollent luce & claritate, evidens tamen earundem conspicitur discrimen, dum una alteram magnitudine ac splendore exuperat: sic omnes & singuli electi cœlestis illius beatitudinis communi gaudio & gloria simul fruentur, erunt tamen diversi hujus gloriæ & honoris gradus; ut enim qvisq; in hac vitâ donis suis ad Dei gloriam & proximi utilitatem præ aliis benè usus, & de ecclesiâ aut repub. præclarè [ex fide] meritus fuerit, ita in alterâ vitâ majore etiam gloriâ præ aliis ornabitur. Id qvod etiam Danielis comprobatur testimonio c.12,3. ubi ait: *Qvi autem docti fuerint, fulgebunt qvasi splendor firmamenti, & qvi ad justitiam erudiunt multos, qvasi stellæ in perpetuas æternitates.*

14.

Lilium.

FLoſculus ſeu *lilium* illud, qvod characteres claudit penultimi circuli, poſtulat ſui qvoq; haberi rationem. In deliciis habetur *lilium*, partim ob ſpeciem elegantem & candorem ſingularem [Matt.6,29.] partim ob ſvaviſſimum odorem & fragrantiam. Unde Theophylactus in cap.14. Hoſ. Κρίνον λαμπρότατον ἔχει τὴν εὐωδίαν, μέγεθος δὲ οὐκ ἔχει, i.e. *Lilium candore ſplendidiſſimum odoris fragrantiam habet, magnitudinem non habet.* Qvocirca convivantes olim ſerta ex roſis, liliis, aliisq; floribus gerebant, ut vino madidi atq; exhilarati, ſimul ſvaviſſimis odoribus recrearentur & oblectarentur. Qvò pertinet illud Sap.2,7.8. Ezech. 23, 42.

1. Chriſtus & Eccleſia.

Lilium itaq; in genere denotat qvæcunq; homines ut grata, jucunda, pretioſa ſuſpiciunt, expetuntq;. In qvorum cenſu primò recenſemus *Chriſtum* & *Eccleſiam*, ut ſponſum & ſponſam. Nam Cant.2,1.2. Chriſtus alloqvens Eccleſiam ſuam, dicit: *Ego ſum flos campi, & lilium convallium: ſicut lilium inter ſpinas, ita amica mea inter filias.* *Lilio* autem imprimis comparari puto ſimul ſponſum & ſponſam ob fragrantiam cœleſtis doctrinæ, qvâ mutuus amor Chriſti & Eccleſiæ conciliatur, Joh.14,23. Hinc felicitas Eccleſiæ Novi Teſtamenti hac depingitur figurâ Eſa.35,1,2. *Florebit qvaſi lilium, germinans germinabit*, &c. Conf. Hoſ.14,5. Qvod imprimis fit, qvando habet purum Dei verbum & legitimum Sacramentorum uſum, unâ cum præclaris Doctoribus, qvorum fideli miniſterio excitata Eccleſia, uberes veræ fidei fructus profert.

2. Qvilibet Chriſtianus

Omnes & ſingulos Chriſti ſervos adumbrat imago lilii, qvos ita compellat Eccleſiaſticus cap.39,17.18, *Auſcultate mihi filij ſancti, & germinate qvaſi roſa plantata ad flumen humidum: producite florem qvaſi lilium, edite odorem, & laudate cantico*, &c. Ubi cauſas ſimul exponit, cur hoc titulo decorentur pia Chriſti membra, qvod videlicet germinant fide, florent charitate, & fragrantiſſimum precum laudum q; qvotidiè exhalant odorem. Hinc illud Theophylacti: *Cum in Eccleſia videris aliqvem benè vivere, & luce virtutum coram hominibus ſplendere, illum vocato lilium.*

3. Doctores Eccleſiæ.

Præcones verbi divini peculiariter exæqvantur *liliis*, uti patet Sir. 50, 8. Ubi *Simon filius Oniæ ſummus Pontifex* comparatur cum *liliis ad exitum aqvæ plantatis.* Qvod ſanè encomium cuivis fideli Eccleſiæ competit Doctori, qvi ad fontem vivum verbi puri & ſalvifici pullulans, & gratiâ Spiritus ſancti irrigatus, ſvaveolentiâ doctrinæ ſuæ auditorum animos reficit 2.Cor.2, 15. & candore morum ac ſplendore virtutum omnibus prælucet, 2.Cor.1,12.17.

4. Cordis ſyncerita.

Petrus Galatinus lib. 3. de arcan. cathol. verit. cap. 17. refert Hebræorum doctores in *Midras tehillim* ad titulum Pſal. 45. Lilio *cordis ſyncéritatem* ſignificari, arbitratos fuiſſe: Qvia ſicut lilium germinans & florens folia ſurſùm erigit; ita & nos pœnitentiam agentes, corda ſurſum habeamus ordinata & erecta.

5. Vitæ humanæ conditio.

Has eqvidem notiones ſuppeditat *Lilium* reſpectu ſuæ venuſtatis & ſvaveolentiæ. Cum autem in ſe extremè fragile & caducum, ſubitò marceſcat ac decidat, hinc exprimit etiam vitæ humanæ ſortem & conditionem, qvæ ſplendet interdum honore, divitiis, voluptatibus, ſed citò tranſit & evaneſcit, vide Eſa.40,6.7. c.28, 1.4. Pſ. 90,6. Pſ. 102,12. Pſ.103,15.16. Job. 14,2. Sir.14,18. Jac.1,10. 1.Pet.1,24. Eleganter hanc vitæ noſtræ fragilitatem perſtringit hac ipsâ figurâ Gregorius l.11.moral.26. in illud Job.14,2. *Homo*, inqvit, *more floris procedit ex occulto, & ſubitò apparet in publico, qvi ſtatim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas oſtendit: ſed ariditas pulveris ab aſpectibus retrahit. Qvaſi flos apparuimus, qvi non eramus: qvaſi flos areſcimus, qvi temporaliter apparebamus.*

15.

Vermis.

DUæ lacertarum ſeu grandiorum vermium combinationes in ultimo apparent circulo, qvorum altera characteres ejuſdem incipit, altera claudit. Significat *Vermis* res qvidem varias & diverſas, omnes tamen in eo convenientes, qvod ſint viles, ingratæ, moleſtæ, vel in ſe, vel hominum opinione.

1. Chriſtus.

Cum *Vermis* plerumq; naſcatur ex putredine, qvæ in materiâ humidâ & putida fœtorem & graveolentiam ſecum ferens, hominibus nauſeam movet, Exod.16,20. hinc typus eſt extremi contemptus & abjectionis, & de illis prædicatur, qvos deſpiciunt omnes & averſantur. Qvapropter Chriſtus, qvod tempore paſſionis omnium ludibrio, ſubſannationi, conſpuitioni, conculcationi expoſitus eſſet, *vermem ſe, non hominem* eſſe dicit Pſ. 22, 7. Eccleſia etiam ejuſdem conſors conditionis, qvæ coram mundo tanqvam res fœda & abominanda, plerumq; contemnitur & variis probris ac contumeliis deformatur, eundem qvoqve cum capite ſuo participans titulum, *Vermis Jacob* vocatur, Eſa.41,14. Eccleſia.

2. Mors.

Qvoniam cadaver hominis producit vermes, qvi carnem defuncti depaſcunt Sir.10,12. *Vermis* ſymbolum eſt mortalitatis humanæ & ſtatus corporis noſtri poſt obitum Job.17,14. cap.21,26. cap.24,20. cap.25,6. Eſa.14, 11. cap. 51, 8. 1.Macc. 2, 62. Unde homines ſuperbi ac protervi, qvi ſuæ obliti mortalitatis, divinos ſibi arrogarunt honores, nonnunqvàm ita puniti ſunt, ut vivi adhuc veſtigia mortis in corpore ſuo ſenſerint, à vermibus ex eodem undiqvaq; ſcaturientibus miſerrimè conſumpti: Veluti oſtendunt exempla *Antiochi*, 2.Macc.9,9 & *Herodis* Act.12,23. Eadem pœna denunciatur iis, qvi ebrietati & ſcortationi ſe dedunt, fore nimirùm, ut *putredo & vermes hæreditent ipſos*, h.e. ut ſævis morbis correpti, vermibus ſcateant vivi, & miſerè pereant, Sir.19,3.

3. Angores Conſcientiæ.

Cum *Vermis* vivorum hominum aut animalium rodens corpora, acerbiſſimos excitet cruciatus, hinc internam animi curam & triſtitiam præfigurat, juxta illud Prov.25.20. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Qvam ſententiam textus latinus vulg. è græco LXX. translatam habet, qvamvis in Hebræo non legatur. Imprimis notantur hoc titulo dolores & tormenta malæ conſcientiæ, & præſertim illa, qvæ perpetuò ſentient damnati in inferno, Eſa.66,24. cap.51,8. Judit.16,21. Sir.7,18. Marc.9,44.46.48.

4. Invidia.

Chryſoſtomus homil.35. imagine *Vermis* depingi putat naturam & effectum invidiæ. Sicuti enim Vermis ipſum lignum, ex qvo naſcitur, prius abſumit: Ita hoc vitium illam prius, qvæ ſe peperit, animam mordet atq; excruciat, juxta illud: *putredo oſſium eſt invidia*, Prov.14,13.

16.

Oſſa nuda.

OSſa hominis dupliciter conſiderantur, 1. Qvatenus adhuc carne & cute nervis & venis circumdata, ſunt pars vel potius fundamentum corporis humani, & fulcrum membrorum: qvo reſpectu multas ac notabiles

biles ex se pariunt significationes, qvas, ut ab hoc instituto plane alienas, sicco præterimus pede. 2. Qvatenus nudata sunt ossa excoriata [qvalia duo conspiciuntur in ultimo circulo cornu nostri] de rebus etiam diversis nos admonent.

1. Status humani corporis post mortem.

Cum moritur homo, mox cadaver ejus producit serpentes, bufones, lumbricos & alios vermes, qvi omnem carnem defuncti rodunt & depascunt usqve ad ossa, cumq; nihil amplius restat, qvo pascantur, emoriuntur sensim & vertuntur in terram, relictis ossibus. Ergo ossa imprimis crurum hoc modo exuta carne & cute repræsentant & ipsam mortem & conditionem corporis nostri post fata. Hinc Christus indicans qvidnam intùs servent sepulchra, defunctorum cubilia, dicit *plena esse ossibus mortuorum, omniq; spurcitia*, Matth.23,27.

2. Resurrectio mortuorũ.

Qvoniam *ossa* sunt ultimæ corporis reliqviæ, qvæ non modò supersunt post carnem consumptam, sed etiam in extremo die rursus cute & carne vestita revivisçent, hinc resurrectionis non solùm symbola sunt & testimonia, sed etiam seminaria. Sicut hoc in visione Ezechieli Prophetæ exhibitâ manifestè apparet: ubi cernit Propheta qvamplurima ossa sicca & arida passim in campo sparsa, qvæ mox, jussu divino, sibi invicem congruè aptata, & suo qvæq; loco colligata, non modò nervos, carnem & cutem pristinam, sed spiritum etiam vitalem recipiunt, Ezech.37, 1. & seq. Cui congruit promissio illa Esa. 66,14. *Gaudebit cor vestrum, & ossa vestra* [qvæ jam pridem in monumentis emortua & tabida jacebant] *qvasi herba germinabunt.* Unde Ambrosius lib. de fide resurr. *Ossa hominum in sepulchris jacentia vocat semina æternitatis.* Et Hilarius in Ps.52. dicit, *spem æternitatis in ossibus significari.*

3. Homo afflictissimus.

Homines ingenti oppressi calamitate, ex qvâ nullâ vi aut ope humanâ eluctari possunt, assimilantur aridis ossibus, omnis succi ac vigoris expertibus. Hinc Judæorum, dum in gravissima servitute & captivitate Babylonicâ constituti, & squalore confecti fuerunt, conditionem per ossa illa sicca Ezechieli ostensa adumbrari indicatur Ezech.37,11. *Ossa hæc universa domus Israël est; ipsi dicunt: aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra & succisi sumus.* Eorum verò liberatio & in patriam restitutio ita delineatur: *Ecce ego aperiam tumulos vestros & educam vos de sepulchris vestris & inducam vos in terram Israël*, v.12. *Et indam vobis spiritum meum, ut reviviscatis, & requiescere vos faciam in terrâ vestrâ*, v.14.

4. Pauperum expilatio.

Deniq; *ossa* excoriata & carne nudata imaginem exhibent hominum miserorum, qvibus potentiores crudelissimè expilatis bona & substantias, ipsorum sudore & labore partas, eripuerunt, ideoq; dicuntur *rapuisse pellem eorum ab eis & carnem ab ossibus ipsorum*, Mich.2,3.

17.
Cor.

CUm homo duabus constet partibus essentialibus, *Corpore* & *Anima*, qvæ in morte à se invicem dirimuntur & separantur; *corporis* autem post obitum conditionem pictura angvium & ossium in postremo circulo dudùm satis repræsentaverit, *animam* qvoq;, ejusq; statum adumbrari reor imagine cordium in eodem circulo existentium. Nam inter alias cordis acceptiones qvamplurimas, qvæ in sacro codice crebrò occurrunt, & nunc à nobis consultò prætermittuntur, hæc præcipua & freqventissima est, qvòd videlicet *Cor* pro animâ hominis sumatur, eiq; omnes potentiæ rationales tribuantur. Hinc Cor denotat ipsum *intellectum*, Exod.31,6. cap.35,10. 1.Reg.3,9. Job. 9,4. Ps.14,1. Ps.95,10. Esa.6,9. Hos. 4,11. Rom.1,21.&c. *Voluntatem* 1. Paral. 12, 38. cap.28,9. Ps.7,11. Ps.11,2. Ps.62,11. Ps.78,37. Prov.22,17. &c. *Animum* Exod.11,10. Jer.

Anima.

Jer.5,23. cap.7.24. *Mentem*, Mal.4,6. Actor.4,34. *Sententiam* 2.Par.30,12. Ezech. 11,19. *propositum* 1.Sam.14,7. 2.Sam.7,3.21. 2.Paral.29,10. *Conscientiam* 1.Joh.3,20. *Votum* Act.13,22. *Desiderium* Psal.62,9. Thren.2,19. cap.3,11. *Amorem* 2.Sam.15,6. Hos.10,2. *Intimos sensus* Ps.7,10. Ps.26,2. *cogitationes* Gen.6,5. cap.8,21. Matt.6,21. *consilia* Ps.20,5. *machinationes* Prov.21,2. &c.

Cor fons mali.

Qvemadmodum autem *Cor* hominis, utpote jam post lapsum extremè depravatum, est primus omnis mali fons, omniumq; scelerum & peccatorum officina: siqvidem *ex Corde* veluti ex radice pravâ pullulant & scaturiunt *cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, qvæ hominem impurum*, hoc est, Deo abominabilem *reddunt*, Matth. 15, 19. sic vice versâ nullus ab homine cultus Deo gratus & acceptus præstari potest, nisi proficiscatur ex corde renato, converso & sangvine Christi per fidem purificato. Hinc exigit à nobis divina majestas, ut ipsi *cor nostrum præbeamus* Prov.23,26. *ad ipsum corda nostra elevemus*, Thren.3,41. *vero corde accedamus* Heb.10,22. *Coram ipso corda nostra effundamus*, Ps.62,9 *Ipsum toto corde diligamus*, Deut. 6, 5. *qværamus* Jer. 29, 13. *invocemus* 119,145. &c.

Et boni.

Deus cor intuens.

Hinc etiam est, qvod supremus ille judex neqvaqvam nos æstimet secundum operâ nostra externa, sed nos omniaq; opera nostra atq; Christianismi exercitia judicet ac censeat secundum internum cordis statum: qvalis est status cordis tui, talis in conspectu Dei appares, talia sunt verba, talia sunt opera tua. Deus enim neqvaqvam more hominum, ea respicit, qvæ in oculos incurrunt, sed *cor* ipsum *intuetur* 1.Sam.16,7. Nec illis favere potest, *qvi ore suo ipsi appropinqvant, & labiis eum glorificant, corde interim ab ipso procul recedente*, Esaiæ 19, 13.

Cor pessimum, & optimũ.

Deniq; qvemadmodum tota impiorum malitia ad cor ipsorum perversum, ceu venenosum fontem & scaturiginem refertur: unde dicitur *cor prævum* Jer.17,9. *neqvam* Sir.3,26. *pessimum* Prov.26,23. *Vanum* Ps.5,10. *insipiens* Rom.1,21. *duplex* Sir.1,26. *Divisum* Hos.10,2. *perversum* Prov.17,20. *rebelle* Jerem.5, 23. *indomabile* Ezech.2,4. *obcæcatum* Marc.6,52. *incredulum* Heb.3,12. *impœnitens* Rom.2, 5. *incircumcisum* Jer.9,26. *incrassatum* Ps.119,70. Matt.13,15. *durum* Esa.46,12. *lapideum* Ezech.11,19. cap.36,26. *adamantinum* Zach.7,12. &c. Sic econtrariò piorum probitas & pietas ex corde ipsorum elicitur. Hinc *cor* illis tribuitur *novum* Ezech.36,26. *mundum* Ps.24,4. Ps 51,12. Matth.5,8. *bonum* Luc. 8,15. *integrum* Psal. 101,2. *perfectum* 1.Paral.28,9. *rectum* Ps.7,11. Ps. 64,11. *simplex* Gen.20,6. Job.33,3. *fidele* Nehem.9,8. *immaculatum* Ps.119,80. *carneum* [hoc est, molle & flexibile] Ezech.36,26. &c. Hæc de *Cordis* notionibus dicta sufficiant pro nostro instituto.

18.
Numerus Novenarius.

CAsu nè, an studio ac certo Autoris consilio factum sit, qvod imago cordis novies repetita conspiciatur in ultimo circulo *cornu* nostri, non facilè dixerim; ipsa sanè Circuli latitudo istas cordis figuras nec plures capere, nec paucioribus compleri potuit.

Augustinus libr. 2. qvæst. Evang. 40. *numerum novenarium* ideò imperfectionis arguit, qvod *Novem* indigent *uno*, ut qvadam unitatis formâ coagulentur, & decem fiant; *Unum* verò non eis indiget, ut custodiat unitatem, &c. Idem totidem penè verbis repetit Beda Homil. in Dom. 14. post Trinitat. Sed nullo negotio invertitur argumentum: siqvidem *novenarius* numerus in se

unus & simplex, accedente unitate, in *Decimum* transformatur, & ita simplicitate suâ amissâ, subjicitur compositioni. Simplicitatem autem perfectionis, ut compositionem è contrario imperfectionis indicem esse, nemo ignorat. Sunt rationes non paucæ, militantes pro perfectione *Novenarij*, qvas hujus numeri partim natura ac indoles, partim usus subministrat.

1. Argumenta pro perfectione Novenarii ab indole ejusdem petita.

Novenarius ut numerorum simplicium ultimus, ita maximus est qvemvis reliqvorum intra se complexus, & omnium veluti complementum: ad qvem cum perventum fuerit numerando, non licet ultrà progredi, nisi rursus ad unum redeatur.

2. Ipse Augustiuus lib. 1. Music. c. 12. docet numerum imparem esse perfectiorem pari; qvoniam ille principio, medio & fine constat, hîc tantum in duas partes æqvales dividitur. Jam verò *Novenarius* vel solus inter simplices est πεπερισσάκις περισσὸς; impariter impar, qvem impar numerus metitur per imparem, ut ipse totus impar in tres impares, in tres videlicet ternarios resolvi possit.

3. Cum *Ternarius*, ceu primus numerus multitudinis, symbolum sit perfectionis, teste Aristotele lib. 1. de cœlo c. 1. ideoq; magnam copiam & multitudinem denotet, Esa. 40,12. Eccles. 4,12. Matth. 13,33. Hunc autem *Novenarius* ter, h. e. perfectissimè includat: Ergo *Novenarius* magnum cumulum adderet perfectioni, triplamq; perfectionem significare meritò censetur.

4. *Septenarius*, qvi conflatur ex *Ternario*, qvi est primus numerus totus impar, & ex *quaternario*, qvi est primus totus par & qvadratus, pro numero itidem mystico, perfecto & symbolo plenitudinis recensetur, 1. Sam. 2,5. Jer. 15,9. Ezech. 39, 9. Ps. 119,164. Prov. 24,16. Eccl. 11,2. Qvod prolixè explicat ipse Augustinus lib. 11. de civit. Dei c. 31. & lib. 17. cap. 4. Jam verò *Septenarius* per seipsum multiplicatus producit nobis *Novenarium*, nam septies septem sunt qvadraginta *Novem*: Cujus numerationis qvondam vel imprimis habitam fuisse rationem in anno jubilæo Judæorum computando, patet ex Levit. 25,8. Et qvidem *septenario* magnam cum *Novenario* intercedere cognationem inde qvoq, constat, qvod septem septennia annum qvidem climactericum minorem 49. Novem verò septennia majorem & prægnantiorem 63. Novem deniq; novennia maximum & periculosissimum 81. efficiant.

5. Nec parùm eo etiam nomine perfectionem suam nobis comprobat *Novenarius*, qvod per qvemvis numerum multiplicatus, indolem suam semper retineat, & seipsum perpetuo producat. Exemp. gratiâ:

Bis	9	sunt	18
Qvinqvies	9	sunt	45
Octies	9	sunt	72
Novies	9	sunt	81
Decies	9	sunt	90
Novies	14	sunt	126
Novies	17	sunt	153
Novies	20	sunt	180
Novies	26	sunt	234
Novies	30	sunt	270
Novies	45	sunt	405
Novies	73	sunt	657
Novies	98	sunt	882
Novies	136	sunt	1224
Novies	189	sunt	1701
Novies	275	sunt	2475
Novies	555	sunt	4995
Novies	2683	sunt	24147
Novies	13956	sunt	125604.

NB. Vides, ut qvilibet numerus ex hisce resultans multiplicationibus, ipsissimum Novenarium exactè reddat, vel semel, vel aliqvoties.

Parcius

Parciùs qvidem attingunt hunc numerum Scriptores θεόπνευστοι, nec prorsùs tamen negligunt. Usus Novenarii in scripturis sacris.

Judæi qvondam *nono* qvovis anno novis terræ fructibus demùm frui cœperunt ex decreto divino, postqvam annis tribus proximè præcedentibus annonâ veteri ex proventu sexti anni collectâ, sese sustentâssent, Levit. 25,22. 1.

Ipsarum etiam terræ frugum Decimis cultui divino consecratis reliqvæ partes *novenæ* abundè sufficiebant toti alendo populo; qvibus tantum abest qvicqvam hoc modo decessisse, ut illis potius divinæ benedictionis magnus accederet cumulus, Prov. 3, 9. 2.

Consimiliter Judæi reduces è captivitate Babylonicâ, decimam partem ex universo populi cœtu sorte legerunt, qvæ in urbem Hierosolymam migraret, cæteris *novenis* partibus totam interim terram Judaicam occupantibus, Nehem. 11, 1. 3.

Horam *nonam* precibus & supplicationibus imprimis destinatam fuisse, testatur historia sacra. Nam Petrus & Johannes perhibentur ascendisse in templum, *ad horam precationis nonam*, Actor. 3,1. Et Cornelius Centurio, ait, se *horâ nonâ orasse in domo suâ*, Act. 10, 30. 4.

In ortu qvoq; hominis ostentat se *Novenarius*: siqvidem fœtus in utero materno *novem* mensium curriculo gestari dicitur, 2. Mac. 7,28. 5.

Et vitam humanam qvæ facere beatiorem videntur, complectitur hoc numero Ecclesiasticus cap. 25, 7. inqviens: *Novem cogitata prædicavi beata esse ex animo meo*, &c. 6.

Ipse mundi Salvator *Novenarium* morte suâ nobilitavit, utpote qvi circa *nonam* diei horam in cruce expiravit: uti colligimus ex Matth. 27, 45. 46. 50. Marc. 15,33.34.37. Luc. 23,44.46. 7.

Deniq; terræ motu illo spirituali per Evangelii prædicationem suscitato, decimam partem Civitatis Sodomiticæ [hoc est, papatus] cecidisse fertur, cum *novenæ* partes [hoc est, maxima hominum multitudo] adhuc sub jugo Antichristi captivæ teneantur, Apoc. 11,13. 8.

Si à Sacris ad prophanos progredimur Scriptores, nec hi *Novenarium* nostrum planè reliqverunt intactum. Usus novenarii apud Gentiles.

Qvanti Poetæ hunc fecerint numerum, ipsi satis superq; declararunt, dum non solum eodem Musarum comprehenderunt chorum: sed etiam finxerunt, si qvis Deus gentium per stygiam paludem pejerasset, illam propositam fuisse pœnam, ut per *novem* annos nectare & ambrosiâ, atqve omni Deorum consvetudine abstineret, Hesiod. in Theogon. Item de lacu Triconico in Africa tale commenti sunt prodigium, si qvis ibi *novem* vicibus se immerserit, extemplò in avem mirabiliter transformari, sumptisq; pennis evolitare, Ovid. libr. 15. Metamorph. 1.

Medici ad eundem respicientes, in morbis curandis *nonum* diem, ut Criticum, imprimis observant. 2.

Nec Physici antiqviores præterire *Novenarium* voluerunt, qvi *novem* orbes constituerunt cœlestes. 3.

Græci suo malo experti sunt, qvid secum ferat *Novenarius*; dum pestiferæ Apollinis sagittæ *novem* diebus ipsorum pervasit exercitum, Homer. Iliad. 1. Nec non ipsi *novem* annis ad Trojæ hæserunt mœnia Hom. Odys. 3. Ovid. 12. Metam. 4.

Trojanos olim *novem* dies impendisse sacris suis solenniter peragendis, autor est Virgil. lib. 5. Æneid: 5.

Jamq; dies epulata novem *gens omnis, & aris*
Factus honos, &c.

Roma-

6. Romani non parùm æstimantes hunc numerum, & infantes *nonâ* die à suo natali aqva & igne lustrabant, illisq; nomen imponebant & mortuis suis *nono* die, postqvam erant sepulti, parentabant, unde sacrum *Novendiale* appellationem sortitum, cujus ipse Augustinus meminit, lib. 1. qvæst. sup. Gen. c. 172. Fuit & aliud genus *Novendialis* sacri, à numero dierum, per qvos continuò agebatur, ita dicti, qvo expiare publica solebant prodigia, de qvo Livius lib. 1. dec. 1. & lib. 17. dec. 3.

7. Mulieres etiam, qvibus sacra erant tractanda, per novem dies noctesqve abstinere ab omni libidine & actu Venereo tenebantur Ovid. libr. 10. Metam. Propert. lib. 2. eleg. 33.

8. Nundinas itidem à *nono* die nomen accepisse scribit Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 16. Qvæ à Romanis ita institutæ perhibentur, ut octo qvidem diebus in agris Rustici opus facerent, *nono* autem die repeterent urbem ad mercatum, legesq; accipiendas, & ut scita atq; consulta freqventiore populo referrentur, &c.

9. Hinc qvoq; Pontificii figmentum suum de Hierarchiâ Angelica insignire hoc numero amant, & *novem* Angelorum distinctos faciunt ordines.

Usus Novenarii apud nostrates, 1. Dani imprimis *Novenarium* maximè observârunt. Nam Qvovis *nono* mense *novem* dies sacris suis impendebant, singulisq; *novem* diebus *novem* animantium genera Diis suis immolabant. Et *nono* qvovis anno majus ac solennius peragentes sacrificium, 99. homines, & totidem eqvos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis nefariâ litatione mactabant, vide Dn. D. Worm. lib. 1. monum. Dan. cap. 5.

2. Ad hunc qvoq; numerum spectâsse imprimis videntur majores nostri, dum Cimbriam in *novem* distinxerunt ducatus; totidem cordis imaginibus expressos in insignibus Regum Daniæ. Distinctionem autem terræ Danicæ in certas Provincias & Ducatus cœpisse sub Haraldo 6. Blaatand cognominato comperio; an verò tunc Cimbria in novem illos Ducatus exactè divulsa, & hi statim figurâ cordium insigniti fuerint, indagandum aliis relinqvo.

3. Nec hodiè vernaculæ nostræ infreqvens est, *Novenarium* infinitè usurpare: Nam phrasi Nigange insignem multitudinem: Nidobbelt magnitudinem seu perfectionem notamus.

Usus Novenarii in hoc loco. Qvod si igitur omninò huic numero sensus mysticus ac singularis hoc in loco sit tribuendus, propositum fuisse Autori autumo, novenâ illâ cordium repetitione, monere, ut omnia & singula, qvæ cordis imagine designavit, huc referantur, eaq; indies & seriò inculcentur, & ad animum pensiculatè sumantur, & praxi deniq; qvotidianâ fideliter exprimantur, vide infrà commentationem nostram in hunc locum.

Conclusio cap. 3. Et ita in genere tantum explicavimus Emblemata præcipua & impeditiora, qvæ in nostro emicant cornu: nam minutissima qvæq; perseqvi, præserrim ea, qvæ per se plana atq; obvia sunt, non tàm necessarium qvàm tædiosum foret.

PARS

PARS POSTERIOR ET SPECIALIS SEU PROPRIA.

Continuatio. Hactenus viam stravimus, qvæ nos rectà deducet in pretiosissimi hujus monumenti pleniorem notitiam, qvæ ut eò commodiùs & distinctiùs tradi possit, universum negotium duobus capitibus complectemur.

Caput Primum.

In qvem finem & usum, item qvo tempore & qvo Autore fabricatum sit hoc cornu, & qvid singula ejus emblemata præ se ferant

SECT. I.

De scopo & fine Emblematum, qvæ in cornu nostro apparent.

Omnia hujus Cornu emblemata occurrunt in sacris literis. VId de hoc *cornu* statuendum sit, suggerent nobis notæ & figuræ in illo formatæ, qvibus vel planè neglectis vel ineptè expositis, frustrà omnis consumetur labor, hîc Rhodus, hîc saltus esto: hinc ergò nobis inchoandam esse partem alteram & specialiorem dissertationis nostræ ducimus. Qvisqvis autem ea, qvæ superiùs à nobis allata sunt, probè tenuerit, manifestè videbit & palpabit, omnia hujus Cornu emblemata ex ipsis *Scripturæ* abditis ac penetralibus intimis depromta, simulq; facili deprehendet negotio, neqvaqvàm fuisse mentem autoris præcipuè ipsa dogmata fidei aut religionis Christianæ principia iisdem describere. Nam

1. Nullum hic certum extat vestigium vel creationis Mundi, vel nativitatis, miraculorum, crucifixionis, resurrectionis, ascensionis Christi, vel effusionis Spiritus sancti, vel alterius articuli ipsum fundamentum religionis nostræ concernentis: nulla hic depingitur historia in sacro codice expresè descripta. Nullum etiam Romanæ Ecclesiæ [qvæ tunc temporis, cum ad nos religio Christi propagaretur, dudum adulterari, & à primevâ puritate declinare cœperat] symbolum aut indicium apparet, ut figura crucis, imago B. Virginis, aliorumq; sanctorum, vel aliud qvid hujus generis ac farinæ.

2. Nec consultum fuisset, divina mysteria, qvæ in se occulta, & impervestigabilia sunt, omnemq; captum & intellectum humanum longè excedunt, ejusmodi hieroglyphicorum implicare nodis, atq; obscuris ænigmatum involvere tenebris, qvæ potiùs clarè & perspicuè tradenda, piâq; simplicitate simplicibus hominum animis instillanda, ex præscripto & exemplo Apostoli 1. Corint. 2, 1. & seqv.

Scopus autoris. Qvantum ego qvidem judicare possum, voluit Autor hisce characteribus non tam fidei articulos tractare, qvàm mores hominum informare, & vitia stupenda ac monstrosa eo seculo grassantia redarguere: Res enim ipsi videtur fuisse cum hominibus planè impiis & protervis, qvibus sacrosancta Evangelii doctrina offerebatur indies, sed sordebat ingratissimis contemtoribus, qvi eam

extremè aversati, in ejusdem præcones & confessores vehementer sæviebant, & interim in omnis generis flagitia securi ferebantur. Horum, inqvam, proterviam taxat & perstringit Autor hoc instrumento, in qvem finem obscuras hasce notas è sacris literis petitas, sed in rebus mundanis ac prophanis magnâ parte qvotidiè obvias & in oculos omnium incurrentes, in ipsorum produxit conspectum, ut harum & intuitu admoniti & explicatione accuratâ eruditi, ad meliorem redirent mentem, & tandem in sese descendentes, suam & cœcitatem horrendam, & miseriam deplorandam agnoscerent, pertinaciam deponerent, ac Christo ejusq; verbo obluctari desinentes, ipsius leniissimo jugo colla sua subderent ac subjicerent: Qvò tot corporis animæq; periculis, qvibus indies expositi erant, liberati, placidâ & beatâ morte obdormirent, & rigorem Judicii extremi unà cum cruciatibus Inferni effugerent. Qvæ omnia manifestiùs patebunt ex singulorum emblematum dextrâ & accuratâ enodatione.

SECT. 2.

Omnes hujus Cornu circuli strictim & summatim delineantur.

COnstituit igitur Autor notis hisce hieroglyphicis corruptissimos sui sęculi castigare mores, & imprimis odium religionis ac verbi prædicati neglectum: Qvod qvomodo effectum dederit, nunc porrò dispiciemus. Distribuit autem universa ista Emblemata in septem diversos circulos, qvorum & summam compendiosam, & nexus ac coherentiæ concinnitatem prius in genere ostendam.

1. Primi Circuli prior series figuram exhibet miseriæ humanæ, hujusq; præcipuas causas scitè perstringit: Altera rationem insinuat declinandi hoc malum & procul depellendi.

2. Cum autem hæc è malis eluctandi via nec hominibus naturaliter pateat, nec eam ingredi aut progredi in ipsorum viribus situm sit, commonstrat Circulus secundus ordinarium illud medium, qvo Deus illis & scitu necessaria suggerit, & vires agendi submministrat; Verbum scilicet divinum operâ & ministerio fidelium doctorum prædicatum, & ad diversi generis homines dextrè applicatum.

3. Ad hujus verbi normam, si vitam ante actam vel mediocri studio examinaverint, statim apparebit; qvid hactenùs egerint, & qvales se præstiterint: Id qvod indicant imagines monstrosæ Circuli tertii.

4. Qvid porrò hinc sibi expectent à Deo, ut justo scelerum vindice, si in pravitate istâ perseverârint! Qvid contrà ab eodem, ut benigno Pastore, sibi polliceantur, si mox resipuerint, exponit Circulus qvartus.

5. & 6. Qvam verò sint illi salutis suæ negligentes, qvantaq; pertinaciâ consilium Dei erga se respuant ac contemnant, depingunt varia Schemata Circulorum qvinti & sexti.

7. Deniq; qvemnam finem habitura sit extrema illa obstinatio atq; Numinis contemtus, indigitant simulachra Circuli septimi & ultimi.

Præmissâ hacce brevi & nudâ delineatione, pressiùs rem aggrediemur, singulorum Circulorum singula Emblemata singulatim & distinctè enodaturi.

SECT

SECT. 3.

Enodantur Emblemata, qvæ extant in primi Circuli priori serie.

FIguras hieroglyphicas in hac apparentes serie, eò imprimis directas esse, ut miseriam generis humani adumbrent, antea diximus: qvæ primùm *in genere* & summatim depingitur, deinde *speciatim* juxta causas præcipuas exprimitur. *In genere* describitur miserrima hominis conditio & *privative* à nuditate sua naturali & spirituali, & *positive* à periculo ob tyrannidem Diaboli, ejusq; asseclarum. *In specie* exponuntur ordinaria organa, qvibus utitur plærumq; Cacodæmon ad propositum suum malignum, adversus homines expediendum. Hæc autem sunt vel *interna*, in ipso homine sita, vel *externa*, extra ipsum posita. Media, seu causæ calamitatum nostrarum internæ imprimis duæ sunt: altera *universalis*, ut, naturæ nostræ pravitas, altera *singularis*, innata videlicet hypocrisis. Causæ *externæ* dividi possunt in *publicas* & *privatas*: *publicæ* sunt Hæretici & Tyranni. *Privatæ* sunt vel *lenes*, ut voluptates mundanæ: vel *asperæ*, qvæ hominem infestant vel *clanculum*, ut Calumniatores: vel *apertæ*, ut expilatores. Nunc ordine singula discutiemus. Ordo & nexus emblematum in priori serie existentium.

1. Expansio manuum.

Homo ille expandens manus pedesq; se subjectum esse miseriis & ærumnis gravissimis conqveritur: Hic enim gestus est ejulantis, qveritantis & aliorum opem vehementer implorantis, uti liqvet Esdr. 9,5. Thren. 1, 17. Psal. 143, 6. Psal. 88, 10. Jerem. 4, 31. &c. Sunt qvi hunc gestum derivatum velint à more & consvetudine parturientis & morientis, qvæ viribus dissolutis collabitur, & manus expandit, tum ut precabunda auxilium astantium imploret, tum qvia à spiritibus vitalibus deserta, virium & animæ patitur deliqvium: unde manus & membra continere non valet, sed ea expandi & dissipari sinit. Favent huic expositioni, qvæ habentur Jerem. 4, 31. *Vocem qvasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ; vox filiæ Sion intermorientis, expandentisq; manus suas: væ mihi, qvia defecit anima mea*, &c. Indicat itaq; hoc gestu, se ingentibus calamitatibus ita oneratum esse, ut propemodum deficiat, & contra hanc miseriam haud qvicqvam auxilii aut solatii vel in seipso invenire, vel ab aliis impetrare posse. Exprimit autem qverelam illam Thren. 1, 17. *Expandit Sion manus suas, & non est, qvi consoletur eam.*

2. Nuditas.

Qværis: qvænam subsit causa tantæ tristiciæ & lamentationis? allegat duas hoc schema, alteram *privativam*, *positivam* alteram. Priorem indigitat hic homo externo & insolito habitu, qvi, dum nudus conspicitur, ut & reliqvi omnes in hoc circulo, admonet spectatores de suâ conditione & naturali & spirituali.

Naturalis.

Etiamsi aliqvamdiù potiantur opibus & devitiis, affluant voluptatibus & deliciis, floreant dignitate & potentiâ, tamen, si statum suum respexerint naturalem, non habent, qvo insolescant: Nam *nudi*, pauperes, inopes, uti fuerunt in nativitate, ita rursus erunt in morte, nihilq; secum auferent, Psal. 49, 18. 1. Tim. 6, 7. Vult igitur nudus iste hoc habitu inculcare illud Job. 1, 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.*

Spiritualis.

Deinde Gentiles absq; dubio in sua superstitione & idololatriâ tunc temporis sibi magnoperè blandiebantur; siqvidem omnem suam prosperitatem, ut agrorum uberrimos proventus, secundos adversus hostem successus, divitias, honores, & id genus alia, suis illis Diis atq; idolis falsò ascripserunt, à qvibus

ob pravos & superstitiosos illos cultus hæc omnia sibi contingere autumabant, unde non parùm tumebant, opinione sanctitatis & dignitatis suæ. Hos.2, 5. Jer. 44,17. Ergo stultæ ipsorum confidentiæ occurrit homo nudus, qvi stupendo isto habitu illos commonefacit spiritualis inopiæ ac nuditatis, ut nimirum non modò destituti sint omni vero decore, sanctitate, justitiâ, aliisq; donis & bonis primitùs concreatis, sed insuper etiam seipsos per horrenda sua flagitia omni ope, gratiâ & auxilio divino planè orbarint, ut jam nudi & inermes, Diaboli, lethi, inferni, omniumq; hostium & corporalium & spiritualium furori ac injuriæ obnoxii sint. Ergò nuditate suâ allegat illud Apocal.3,17. *Qvia dicis: dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, qvod tu es miser, & miserabilis, & pauper & cœcus ac NUDUS.*

3. Astus Diaboli.

Positivè indicant causam & originem miseriæ humanæ bini illi colubri, hominem nudum & lamentantem ab utroq; latere adorientes, qvibus exprimuntur astus & insidiæ Diaboli, qvi, ut primum peccatum intulit mundo, per primævam Evæ deceptionem, ita adhuc etiam variis modis & artibus hoc agit, ut nos ad horrenda flagitia pelliciat, sicq; in iram Dei, securitatem, desperationem, pœnas temporales & æternam perniciem præcipitet. Ideoq; nunc *à dextra* nos aggreditur trucibus Mundi inimicitiis, odiis, persecutionibus; nunc *à sinistra* nos petit occultis tentationibus & pravis inspirationibus. Nunc *per dextram*, hoc est, felicitatem mundanam securos reddere; nunc *per sinistram*, hoc est, continuas afflictiones, desperationi implicare nos studet. *A dextrâ* se sistit, qvando in Angelum lucis transformatur, 2.Corinth.11,14. *A sinistrâ* procedit, dum leonis instar rugientis obambulat, 1.Pet.5,8. Imò qvocunqve in statu homines offendit, semper commodas & convenientes illis parat deceptiones. Alius namq; lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Lætis luxuriam proponit, libidinum fomenta suppeditat: tristibus iracundiam ingenerat, discordiæ poculum porrigit: timidos terroribus & conscientiæ morsibus affligit: elatos stimulis superbiæ & ambitionis incitat, &c. *Ita singulis hominibus vitiis convenientibus insidiatur*, uti loqvitur Gregorius libr.21. Moral. Qvocunq; igitur te vertas, ubiq; cum hoc misello ac nudo homine, ab imminentibus tibi serpentibus, scil. à Diaboli ejusq; membrorum astibus, technis, seductionibus, afflictionibus cinctum te atq; circumvallatum senties. Suggerit ergò Autor hac effigie illud Ezech.2,6. *Tu fili hominis, cum Scorpionibus habitas.* Cui respondet Psaltes regius: *Contrivisti nos in loco Dmconum*, Ps.44,20.

Postqvam primum Emblema miseriem & periculum hominis in genere, & *privativè* & *positivè* delineavit, subjiciuntur aliæ atq; aliæ figuræ, qvibus causæ hujus mali præcipuæ & specialiores sigillatim exprimuntur, qvæ plurimum faciunt ad homines à recti tramite abducendos, & in scelera pariter ac ærumnas conjiciendos. Secundum igitur Emblema duas causas exhibet internas, alteram *universalem*, alteram *singularem*.

4. Labes naturalis.

Prior est congenita naturæ depravatæ contumacia, qvam deplorare videntur duo illi homines, qvi manibus in cœlum sublatis, monstrum capitis humani, corporis ferini, commonstrant: Simulachrum sanè perappositum hominis non renati, qvi ipsam qvidem essentiam, ut & externam faciem ac formam hominis retinuit, ut humano more sentiat, videat, audiat, loqvatur, ratiocinetur, &c. Sed omnes ejus vires ac facultates internæ & externæ ita sunt depravatæ, ut *non habitet in ipso, seu carne ipsius, bonum*, Rom.7.18. ut nihil *humanum*, hoc est, rectum, justum, laudabile designet, sed meram sapiat bestialitatem.

tem. *Intellectum* habet *tenebris obscuratum*, Ephes. 4,18. *Cor pravum à pueritia*, Gen.8,21. *affectum Deo inimicum*; Rom.8,7. *legem peccati in membris suis rebellantem legi divinæ*, Rom.7,23. Hæc labes & pravitas naturalis qvotidiè se exerit variis ac multis flagitiis, qvibus homo hominis titulo indignus efficitur, infra qvodvis brutum pecus abjiciendus. Hic repetantur & huic applicentur picturæ, qvæ suprà hoc nomine prolixius diduximus. Repræsentat autem Emblema illud Ps.49,21. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

5. Hypocrisis.

Hæc causa est interna & universalis, qvam ostendit bestia illa humano prædita capite: qvæ videtur insuper singulare aliqvod insinuare vitium, qvod in Protoplastis statim emicuit à violato Dei mandato. Qvamprimùm enim senserunt peccati fœditatem ex lapsu contractam, non sine ingenti pudore & confusione *nuditatem* suam animadvertentes, qvæ antea in statu innocentiæ illis non dedecori, sed ornamento fuerat, mox è ficulneis foliis perizomata & cinctoria consuerunt, qvibus partes corporis ignobiliores contegerent; Gen.3,7. Usq; adeò nimirùm à Diabolo erant excœcati, ut Dei qvoq; perspicaces oculos se excæcare posse, stultissimè sibi persvaderent: qvasi divinæ mentis radii leve velamentum penetrare, atq; æstum libidinosæ carnis foliis utcunq; prætextum, contueri non possent. Neq; verò hic sistitur ipsorum stoliditas: Cum enim audirent vocem Jehovæ ambulantis in horto ad auram diei, conspectum ipsius fugientes, & latibula qværentes, abscondebant se inter arbores Paradisi, vers. 8. ac si latitare possent eos oculos, qvi omnia collustrant, Psal. 10,14. abscondita cordium scrutantur Psal.44,22. Sir.23,29. A qvibus nemo se potest subtrahere, Psal 139,7.11 12. Jerem.23,24. Cum autem ad vocem Dei citantis & compellantis, comparere omninò cogerentur, falsos qværunt prætextus: Adamus omnem culpam transfert in uxorem, v.12. Hæc rursus in serpentem, v.13. Nemo peccatum Deo ingenuè confiteri, ejusq; misericordiam implorare voluit. Est hæc nativa imago hypocriseos, qvæ summam impietatem ac nefanda flagitia simulatione pietatis, & specioso prætextu affectatæ innocentæ palliare & tegere coràm oculis Dei conatur. Qvod vitium, ut à primis parentibus posterorum plerisq; ingeneratum, ita præcipuè in causa est, cur homines sacrosanctam verbi divini doctrinam & veritatem aversentur, & in ejusdem præcones crudeliter insurgant, qvod sentiunt ab hisce *corpus suum bestiale denudari*, hoc est, peccata abominanda, qvæ cupiunt occultare, carpi & manifestari: Cum econtrariò satis esse ducant, *humanum ostentare caput*, hoc est, externo ore & facie, verbis & gestibus opinionem sanctitatis sibi conciliare: licet interim omnes & animæ facultates & corporis membra interna pariter & externa sceleribus plus qvam belluinis polluta, atq; ita abscondita lateant omnis generis mala sub hoc ficta sanctimoniæ operculo. Hanc figuram perspicuis verbis explanat ipse Spiritus Dei, dum ita morem & indolem hypocritarum describit: Qvod *Domino appropiuqvent ore suo, & labiis suis eum honorent, cor autem suum procul ab ipso amoveant*, Esa.29,13. Qvod *formam habeant pietatis, sed vim ejus abnegent*, 2.Timoth.3,5. Qvod *veniant in vestitu ovium, intrinsecus autem sint lupi rapaces*, Matth.7,15. Qvod *dicant se nosse Deum, & præcepta ejus non servent*, 1.Joh.2,4. Qvod *enarrent statuta DEI, & ore suo fœdus ejus jactitent: & tamen odio habeant omnem rectam admonitionem, & verba DEI abjiciant post tergum suum*, Psal. 50, 17.18. Qvod deniq; *DEUM* [verbis] *profiteantur se nosse, factis autem negent: cùm sint abominabiles, & contumaces atq; ad omne opus bonum reprobi*, Tit. 1.16.

Fuerunt causæ *internæ* vitam moresq; hominis corrumpentes, pietatis verò studium impedientes: nimirum naturæ nostræ pravitas & ficta sanctitatis species ac simulatio. Succedunt *externæ*, qvæ vel *publicæ* sunt, vel *privatæ*. *Publicæ* duplicis sunt generis, videlicet *Hæretici*, qvi falsis suis & erroneis dogmatibus animos hominum inficiunt, 1. Tim. 4, 1. & *Tyranni*, qvi vi externâ atq; armis sæviunt in bona & corpora fidelium, 2. Tim. 3, 11. Ambo in eo conveniunt, qvod veram religionem opprimere, & in tenebris insciticæ ac securitatis retinere mortales allaborent. Utrosq; experti sunt infestissimos hostes; qvi salutarem Christi notitiam ad majores nostros detulerunt.

6. Pseudoprophetæ seu Mystæ idolorum, cum & qvæstum & autoritatem suam omnem ruituram viderent, si CHRISTI doctrina publicè admitteretur, mirificis artibus eandem oppugnantes, toto ejicere regno conabantur, jam populum clandestinâ admonitione in pristinis & avitis superstitionibus confirmando: jam veritatis præcones falsis criminibus apud Regem proceresq; gravando, qvibus artibus subinde atrocissimas excitarunt persecutiones adversus Christi cultores, qvi sæpiùs experti illud, Psal. 44, 23. *Mortificamur totâ die, æstimati sumus, sicut oves occisionis.* Hoc igitur est, qvod depingit Emblema, ostendens serpentem insinuantem se homini telo, seu hasta vel gladio armato, ejusq; dextram sibi porrectam veluti lambentem atq; exosculantem: qvo indicat, utrumq; jam consensu prorsus unanimi in perniciem Christianorum conspirasse, citans illud, Psal. 83, 6. *Consulxerunt unanimiter simul, adversus te fœdus pepigerunt.*

Hæreticorũ ac Tyrannorum conspiratio.

7. Hæretici. Ergo serpens ille sese incurvans, & ore blandiens, homini spiculum manu vibranti, aptissimè notat ingenium hæreticorum, qvi ore qvidem blandiuntur, verbis svavibus & fraudulentis adulantur: sed caudâ, hoc est, in fine venenum hæreseos & seductionis hominum animis instillant, & ita *per blandiloqventiam, & assentationem decipiunt corda simplicium*, Rom. 16, 18. Respicit fortassis autor hac picturâ ad titulum illum Pharisæis inditum Matth. 23, 33. *Serpentes, progenies viperarum, qvomodo effugietis judicium gehennæ?*

8. Tyranni. Homo, qvi dextrâ annuit blandienti colubro, sinistrâ autem telum monstrat, qvo petitioni ejus satisfaciat, imago est *Tyrannorum*, qvi plærumq; à falsis istis doctoribus & superstitionis patronis exacerbati, brachio sæculari, hoc est, externâ vi & violentiâ verum Christi cultum abolere tentant, atq; in innoxios DEI servos atrociter debacchantur. In horum numero imprimis recensendus est Rex Gormo 3. qvi adeo infensi erga religionem fuit animi, ut Christicolarum perinde ac teterrimorum hominum respectum extingvere cuperet, uti refert Saxo lib. 9. histor. Dan. Hac igitur figurâ innuere voluit Auror, tunc impletum fuisse vaticinium Salvatoris Joh. 16, 2. *Veniet tempus, ut, qvisqvis interficiat vos, videatur cultum præstare DEO.*

Perpendimus *publicas* miseriæ humanæ causas: seqvuntur *privatæ*, qvæ nos vel per jucunda & lenia ad malitiam invitant, vel per dura & adversa à virtute absterrent.

9. Prioris generis sunt *illecebræ voluptatum*, qvas *Vultur*, avis voraciissima, repræsentat, piscem rostro suo avidius rodens, typus hominis luxuriosi, qvi non contentus necessario victu, qvotidiè epulis exqvisitissimis sese saginat, terram pariter & mare fatigans, ut gulæ suæ satisfaciat, Lucæ 16, 19. Hoc vitium alia non pauca secum trahere solet, ut: *Ebrietatem*, Amos 6, 4. 6. *Libidinem*, Gen. 19, 33. *Amentiam*, Proverb. 20, 1. Hos. 4, 11. *Securitatem*, Esa. 5, 12. Amos 6, 6.

verbi

verbi divini neglectum. Luc. 8, 14. cap. 16, 19. *Clamores, jurgia, blasphemias*, & sexcenta alia mala, Proverb. 23, 29. 30. Qvibus homines gulosi non tantum seipsos immergunt, sed alios etiam suo monitu & exemplo ad eadem instigant. Proinde Vultur pisci tantâ inhians aviditate, spectatores ita videtur compellare: *Venite & fruamur bonis, & utamur creaturâ, tanqvam in juventute celeriter* Sap. 2, 6. *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur*, Esa. 22, 13. 1. Cor. 15, 32.

Qvos autem deliciis mundanis seducere neqvit Cacodæmon, eos duris & asperis attentat, nunc *occultè* per calumniatores, nunc *apertè* per prædatores: à qvibus se gravissimè afflictum dolet & conqveritur homo ille nudus, atqve lamentabundus, expandens palmas.

10. Calumniatores. A dextrâ serpentem habet à se qvidem aversum, sed collum ferociter erigentem, & ore immanè ringentem atq; annuentem Vulturi rodenti piscem; Qvo qvid aptiùs indolem *sycophantarum & susurronum* exprimere qveat, non video. Solent id genus homines eorum, qvos lingvâ suâ mendaci ac virulentâ petunt, congressum fugere, à conspectu se subducere, illis verò sese associant potissimùm, qvi gulæ indulgent & luxuriæ, cujus participes fieri cupientes, coram iis, utpote rerum novarum avidis, & garrulitatis amantibus, absentes variis gravant calumniis & obtrectationibus, qvò innocentium famam lædant, vitæ ac fortunis insidientur. Qvod audaciùs in hos attentant, qvos *nudos*, h.e. amicis & patronis destitutos esse animadvertunt. Proinde hæc Serpentis effigies comprobat illam obtrectatorum descriptionem Ps. 140, 4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.*

11. Expilatores. A lævâ conspicitur *Milvus*, avis rapaciissima, piscem rostro dilanians, qvi magnatum insinuat avaritiam, rapinas, expilationes, qvibus pisces, h.e. viduas, pupillos, peregrinos, aliosq; imbecilliores & imprimis Christi cultores miserrimum in modum opprimebant, exhauriebant, deglubebant. Hos scilicet alloqvitur Emblema verbis ipsius Jehovæ apud Micheam cap. 3, 1. 2. 3. *Numqvid non vestrum est scire judicium? qvi odio habetis bonum & diligitis malum: qvi rapitis cutem eorum ab ipsis, & carnem ab ossibus ipsorum: qvi voratis carnem populi, & pellem eorum desuper excoriatis*, &c.

SECT. 4.

Exponuntur Emblemata, qvæ emicant in Circuli primi alterâ serie.

Continuatio. POstqvam hujus Circuli prior series generis humani miserias & calamitates, earumq; præcipuas causas delineavit, jam hæcce posterior rationem ostendit, qvâ hæc mala effugiamus. Hanc autem in verâ & non fucatâ pœnitentiâ consistere, ex scripturis docemur: qvæ cum propriè sit conversio ad DEUM Esa. 45, 22. Joel. 2, 12. Jer. 3, 7, Zach. 1, 3. Mal. 3, 7. &c. reqvirit imprimis, ut serio peccatorum nostrorum examine facto, qvibus priùs à Deo discessimus Thren. 3, 40. ad ipsum redeamus verâ fide & fiduciâ Salvatoris, nè justiæ & majestatis ipsius terroribus superati succumbamus. At fides ista, si genuina sit, variis sese exerit indiciis, dum vitam & mores emendamus, peccatorum occasiones vitamus, & patienter nos Deo castiganti subjicimus; Mundi verò deliciis & voluptati carnali penitùs renunciamus. Summa.

Divisio. Depingunt itaq; hujus seriei schemata veræ ac salutaris pœnitentiæ 1. *Essentiam* seu *partes*. 2. *fructus*. 3. *effectus*. *Partes* duæ sunt, 1. Peccati agnitio, qvæ simul includit contritionem cordis & confessionem oris. 2. Vera fides

&

& plena fiducia meriti & satisfactionis Jesu Christi. *Fructus* convenientes pœnitentiæ facit homo conversus, dum se gerit decenter 1. contra Diabolum. 2. Erga seipsum. 3, Erga Deum. 4. adversus Mundum. *Effectus* & commodum pœnitentiæ est solatium divinum, & incolumitas à Diabolo.

1. Peccati agnitio & confessio.

Imagines illæ, qvæ in præcedenti serie hominis arguebant miseriam, & præsertim innatam pravitatem ac corruptionem; in secundâ hac serie iteratæ apparent eâdem formâ, nuditate, monstrositate, &c. Qvo docere (procul dubio) voluit Autor, peccata neqvaqvàm tegenda, dissimulanda, pallianda, aut ullo prætextu excusanda esse, nullas hìc latebras, nulla effugia qværenda, sed apertè & sine dolo ad Deum accedendum, & liberâ confessione delicta omnia in conspectu ipsius denudanda. Qvemadmodum enim, qvi morbum aliqvem suum, aut vulnus celat vel etiam extenuat, magnum sibi vitæ accersit periculum: sic qvi defectiones, lethales animæ morbos & vulnera, dissimulat, in manifestum æternæ mortis discrimen se conjicit. Id qvod David innuit suo expertus exemplo Ps. 32, 3. 4. 5. *Qvoniam tacui, inveteraverunt ossa mea in rugitu meo totâ die, qvia interdiu & noctu aggravata est super me manus tua, conversus est humor meus in siccitates æstivas, Selah. Ergò delictum meum notum tibi feci, & iniqvitatem meam nen abscondi. Dixi: Confitebor adversus me iniqvitatem meam Jehovæ, & tu remisisti noxiam peccati mei*, &c. Qvapropter in genere hæc series, repetitâ statuarum & imaginum eâdem penè figurâ & dispositione ob oculos nobis ponit axioma illud, Prov. 28, 13. *Qvi abscondit scelera sua, non prosperabitur: qvi autem confessus fuerit & reliqverit ea, misericordiam consequetur.*

2. Fidei Objectum Christus.

Verùm nè peccatorum onere oppressi demergamur in desperationem, haud diù persistendum in horum contemplatione, sed rectâ pergendum verâ animi fiduciâ ad Salvatorem Jesum Christum ἱλαστήριον [Rom. 3, 25.] *plenum gratiæ & veritatis* [Johan. 1, 14.] ut *ex plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratiâ* [ibid. v. 16.] juxta monitum & consilium Apostoli: *Accedamus igitur cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium* Heb. 4, 16. Hoc est qvod meo qvidem judicio suggerit Emblema primum, hominem ostentans, qvi inter duos angves positus, alteri sibi imminenti obvertit tergum, alterius à se aversi auxilium sublatis implorat manibus. In hac figurâ nostrum & *refugium*, meritum videlicet mortis & passionis Dominicæ; & *remedium*, peccatoris nimirùm verè resipiscentis officium, clarissimè licet contemplari.

Serpens ille, qvi in ipso limine & ingressu pluribus sese gyris & nexibus involvit, veluti magnâ fatigatus angustiâ, haud ineptè adumbrat & *Christum* & qvemvis *Christianum*.

3. Qvalis fuerit Christus tempore passionis.

Ipse Christus non tantum maledictio pro vobis factus, & in ligno crucis exaltatus, se assimilat *Serpenti* Joh. 3, 14. sed etiam variis ac gravissimis & doloribus & ludibriis atq; contumeliis obrutus, *vermem* se appellat, significans se ita abjectum fuisse, ut nè qvidem in numero hominum aut animantium ampliùs sit habitus, sed tanqvam res fœda & vilissima, ab omnibus contemptus & conculcatus: qvo respectu nominatur etiam ab Esaiâ *Novissimus virorum* cap. 53, 3. Ex hac igitur despectâ & colubrinâ forma qvasi ingeminat qverelam suam Psal. 22, 7. *Ego sum vermis & non homo.*

4. Qvalis appareat Christus homini afflicto & tentato.

Porrò qvod ab homine sibi supplicante se avertat & caput suum veluti occultet hic *serpens*, eo ipso insinuat gravissimam tentationem de abjectione, qvæ non rarò nobis obrepens, animos nostros tristissimè affligit, dum nullum aliqvandiu sentimus vel intùs in corde solatium, vel extrà in opere auxilium: unde

unde nobis subeunt hæ cogitationes, qvod Deus oculos suos claudat, faciem abscondat, h. e. qvod planè nos negligat, & nulla nostri cura tangatur; qvo majus etiam & propius periculum, eò magis hæc tentatio atq; sollicitudo nos angit. Ubi tamen firmiter tenendum est, Christum nunqvam avertere oculos à piis, aut eorum curam abjicere, sed ita nobis nonnunqvam videri ex sensu & judicio carnis, dum ille in adversis non statim re ipsâ ostendit, nos sibi curæ & cordi esse Esa. 49, 15. Cum econtrariò Spiritus S. perspicuè testetur, nos instar thesauri ac peculii pretiosissimi ab ipso observari & custodiri, vide Psalmos 105. 121. 135. 148. & alios. Expendatur imprimis oraculum illud consolationis plenissimum. Ps. 33, 18, 19. Qvod affirmat Dominum perpetuò qvasi excubias agere pro salute piorum, & nunqvàm vel in gravissimis malis ac periculis mortis curam, qvam pro suis gerit, remittere. Exprimit autem Emblema usitatam hominis afflicti qverimoniam. *Qvare, Domine, recessisti longè, abscondis te tribulationis tempore?* Psal. 10, 1. *Qvousqꝫ oblivisceris mei omninò? qvousqꝫ avertis faciem tuam à me?* Psal. 13, 1.

5. Fidei luctæ.

Si rursus attendimus, ut hic serpens sese incurvet, ut caput suum declinet, recondat, & objectu totius corporis gyrati contegat, Christianæ prudentiæ intuemur effigiem; qvando fidelis Dei cultor cum variis luctans tentationibus, ærumnis, angoribus, omnes nervos ac vires animi & corporis in hoc intendit, omnes fortunas & res terrenas qvamvis charissimas, ipsamq; adeò vitam in hoc impendit libenter, ut veram & salutarem fidem retineat, qvà Christo unico capiti suo ceu membrum individuum adhærens, nullis Diaboli, mundi, carnis artibus ab ipso divelli qveat [Rom. 8, 35.] sed hæres futurus Regni cœlestis, dulcissimâ consvetudine capitis & Redemptoris sui in æternum fruatur, Joh. 14, 3. cap. 17, 24. In genere nobis hæc injungit figura præceptum Christi, Matth. 10, 15. *Estote prudentes veluti serpentes.* In specie commendat consilium ejusdem, Apoc. 3, 11. *Tene qvod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

6. Fidei praxis.

Præterea indoles fidei vera & genuina non in nuda consistit theoriâ, nempe in sola noticiâ & assensu, qvalem fidem Jacobus Apostolus ipsis assignat Diabolis, sed imprimis exercere se debet filiali fiduciâ, qvę tempore duro, vulnerantibus præsertim conscientiam peccatorum stimulis, confugit unicè ad Christi meritũ & satisfactionem, illius sese vulneribus inserit, in iisdem salutem & medelam qværit, in ipso intimis cordis suspiriis gratiam & remissionem à Deo petit. Id qvod innuit homo, qvi porrectis manibus ab incurvato serpente, qvamvis aversо & protrito, anxiè flagitat auxilium, monens, credendum esse cum Abrahamo παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι Rom. 4, 18. Et ubi nulla etiam mica apparet ullius opis, solatii, salutis, deficientibus omnibus creaturis, cum etiam ipse Christus subducere faciem & gratiam suam à nobis videtur, tamen hinc non omninò abjiciendum animum, nec succumbendum desperationi, sed pleno animi vigore & παῤῥησία [Ephes. 3, 12.] sublatis non solum corporis sed cordis qvoq; manibus impetrandam supernè liberationem. Et ita inculcat figura monitum Jeremiæ Thren. 3, 41. *Levemus corda nostra, cum manibus ad Dominum*, &c.

Pœnitentiæ fructus.

Expositi Autor ipsam essentiam pœnitentiæ, jam fructus ejusdem præcipuos indigitat. Nam parùm gratus accepti beneficii æstimator censeri potest, qvi iisdem malis se denuò immergit, qvibus per Dei gratiam liberatus est: Ergò nisi vitam seriò emendantes, *faciamus fructus, qvi deceant pœnitentiam* [Matt. 3, 8.] de pœnitentia frustrà gloriamur, Luc. 11, 24. 25. 26.

1. Cavendum à Diabolo.

Homo igitur conversus & gratiam Dei in Christo per fidem nactus non satis habeat, semel abdicâsse peccata, sed in posterum qvoq; summo studio & cau-

tione opus est, nè rursus Diaboli laqveis implicetur: Proinde magnoperè ipsius artes caveamus, insidias declinemus, peccandi occasiones vitemus, peccatorum commercia fugiamus, Esa.52,11. Ps.26,4.5. 2.Cor.6,14. Tit. 3,10. Id qvod inculcat imago dicti hominis, qvi grandiorem illum serpentem sibi à tergo inhiantem planè aversatur, eiq; tergum obvertit. Moses refugiens colubrum incolumis mansit, Exod.4,3. Eva serpenti appropinqvans & attendens loqventi miserè seducta fuit Gen.3,2. & seq. Qvod optimè explanat Ecclesiasticus inqviens: *Qvis misereatur incantatoris à serpente morsi, aut omnium accedentium bestiis? sic hominis peccatorem accedentis & se admiscentis peccatis ejus nemo miserturus est*, Sir.12,20.21. Huc spectat consilium Apost. Jacobi c.4,7. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Hinc Dæmon Job.4,11. juxta LXX. vocatur *μυρμηκολέων*, scil. *formica-leo*, qvod se ostendat timidis terribilem, ut *Leo*; fortibus & resistentibus est imbellis & imbecillis, ut formica. Qvocirca Bernhardus *Videte*, inqvit, *fratres, qvam debilis est hostis noster, qvi non vincit nisi volentes.* Obtemperandum itaq; Ecclesiastici saluberrimo præcepto cap.21,2. *Qvasi à facie serpentis fuge peccatum: nam si accesseris ipsum, mordebit te*, &c.

2. Perseverandum.

Nec sufficit benè cœpisse in hoc pœnitentiæ exercitio, ac Satanam ejusqve membra & opera semel ejurâsse, nisi piâ perseverantiâ ipsum scopum salutis in Christo nobis propositum dextrè attingamus, Matt.10,22. Apoc.2,10. Qvod insinuat hic ipse homo, qvi Christo oculis & animi sensibus ita infixus hæret, ut non ampliùs respicere à tergo ad Draconem antiqvũ dignetur, redarguens hoc ipso multorum inconstantiam, qvi pœnitentiam agere qvidem incipiunt, sed in medio cursu subsistunt, ante qvam ad metam sibi propositam perveniant, & vel carnis affectibus abrepti, vel Mundi illecebris superati, à tergo respiciunt: qvorum exempla in Lothi uxore [Gen.19,26.] & in Israelitis ad carnium ollas in Ægyptum respicientibus [Exod.16,3.] scriptura proponit. Qvapropter admonet nos Emblema verborum Christi Luc.8,62. *Nemo, qvi manu sua admotâ aratro, respexerit à tergo, aptus est regno DEI.*

3.

At enimverò hunc pœnitentiæ cursum fideliter conficienti magna se offert difficultas, multa hic suscipienda prælia, subeunda pericula, devorãdæ molestiæ. Nam Diabolus peccati laqveas rursùm nobis injicere tentat, jam clandestinis inspirationibus, jam externis Mundi deliciis, odiis, persecutionibus, uti in priori serie ostensum est: tunc nil debet esse nobis tam charum aut jucundũ, cujus non jacturam facere gestiamus, anteqvam velimus in peccata consentire non tantũ divitias, honores, voluptates sed etiã intimos cordis affectus abdicare, imo ipsã vitam potius profundere parati, qvam Spiritus maligni tentationibus succumbere vel veritatem metu mortis aut ullius periculi abnegare, exemplo Josephi, qvi, relicto adulteræ pallio, nudus effugere maluit, qvàm meretriciis cupiditatibus sese mancipare, Gen.39,12. Hoc indicare videtur ille, qvi sinistram manum

Sinistra manus amputanda.

suam ostentans truncatam, nos hortatur, ut vitiosos affectus, qvi corpori blandiuntur, animæ verò detrimentum afferunt, & ad sinistram in perditionem ducunt, compescamus, nec sinamus *peccatum in mortali corpore nostro dominari* [Rom.6,12.] sed potiùs *mortificemus membra nostra terrestria, ut, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, qvæ est simulachrorum cultus*, Col.3,5. Ergò manus hæc amputata inculcat Christi commonefactionem Matt.18,8. *Si manus tua aut pes tuus offendat te, abscinde ea, & projice abs te*, &c.

4.

Ita qvidem geret se homo conversus erga seipsum: qvalẽ verò Deo se exhibeat monstrat subseqvens Emblema, qvod bestiæ humano capite eandẽ, qvę apparuit in priori serie, continet effigiẽ, cui duo assident homines, alter virgâ seu baculũ ipsi ostendens, alter funiculo illaqveatum obtorto retrahens collo. Qvo monemur,

mur, si fortè post actam pœnitentiam bestiale illud caput resurgere, hoc est, priora vitia repullulare & affectus carnales dominium recuperare præsumant, non esse præsentius remedium, qvam ut baculo nos dirigi, & funiculo colla nostra constringi patiamur, h.e. totos nos verbi Dei disciplinæ, & [si ita velit] cruci etiam & afflictionibus patienter subjiciamus: Hæc enim duo remedia adhibere consvevit Dominus ad carnem domandam, & vitiosos ejus impetus refrænandos, Es. 28, 26. & seq. Utrumq; autem & *baculo* & *funiculo* notari constat ex iis, qvæ supra in hanc sententiam copiosius disseruimus. Patientia.

Alter itaq; homo virgam ostendens omnibus peccati stimulos post conversionem sentientibus occinit illud Paulinum 1.Cor.4,21. *Qvid vultis? an cum virgâ veniam ad vos?* Item comminationem divinam, Ps.89,33. *Visitabo in virgâ iniqvitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Virga.

Alter verò à tergo collum hominis bestialis fune, qvasi freno injecto, constringens, urget monitum Davidis, Ps.32,9. *Nè sitis sicut equus & mulus, expertes intelligentiæ, qvorum maxilla capistro & freno constringenda*, &c. adde Esa.37,29. Frænum.

Seqvitur tertia autoris instructio de officio hominis nuper conversi erga Mundum, cujus illecebras & delicias non tam abnegandas [Tit.2,12.] qvam penitùs conculcandas esse, monet monstrum illud piscem pedibus calcans, eoqve gestu ingeminat illam Apostoli gloriationem, Gal.6,14. *Per Christum mihi Mundus crucifixus est.* 3. Contemtus Mundi

Pœnitentiæ fructus præcipuos, ex qvibus de conditione & indole ejusdem licet judicare, repræsentârunt aliqvot hujus seriei simulachra: succedit Effectus seu Bonum & commodum veræ ac seriæ pœnitentiæ, qvod figura ultima, serpentem exhibens adnictantem homini qvietè sedenti, & utramq; manum complicatam ad sidera tollenti, scitè depingit. Qvemadmodum autem duos in hac serie dudum contemplati sumus Serpentes, rerum diversissimarum indices; prior enim Christum ejusq; membra, alter Diabolum, ejusq; assecias denotavit: ita hæc imago ad utrumq; haud absurdè referri potest. Pœnitentiæ effectus.

1. Christi præsentia gratiosa.

Prior ille serpens, qvi ab homine gravissimè afflicto & opem suam implorante, sese averterat & qvasi occultaverat, nunc rursus ad eundem se convertit, ejusq; annuit petitis; & cum antea rostro oblongo & acuto, ac hiante ore conspiceretur, jam cernitur blandâ facie & ore plano. Exprimit hoc Schema morem & consvetudinem Christi, qvi postqvam ab hominibus ingenti tentatione & desperatione conflictatis procul abfuisse vel saltem faciem suam abscondisse visus sit, tandem, partâ victoriâ & superatis feliciter tentationibus, præsentiam suam exoptatissimam illis & interno cordis solatio & externo ac manifesto confirmat auxilio; & qvò magis iratus atq; crudelis prius apparuerat, juxta illud: *Mutatus es mihi in crudelem*, &c. Job. 30, 21. eò nunc svaviorem se exhibet ac benigniorem, satisfaciens promisso suo: Esa.54,7.8. *Ad momentum parvum dereliqveram te, sed miserationibus magnis congregabo te: In momento indignationis absconderam faciem meam parumper à te, sed misericordiâ sempiternâ misereor tui, ait, redemptor tuus Dominus.*

Qvod autem appropinqvat homini precanti & manus ad sidera porrigenti, eo innuitur, preces & gemitus ardentes devotæ animæ Christum cum suâ gratiâ virtute, ope, consolatione sibi attrahere, juxta assertionem Davidis, Ps. 145,18. *Propinqvus est Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qvi invocant ipsum in veritate.*

2. Incolumitas à Diabolo.

Si qvis verò contendat, serpentem hunc esse malignum & qvidem eundem, qvi priùs tergo hominis afflicti ingruebat, nunc autem apertâ vi ac violentiâ

lentiâ in ipsum irruat, nil eqvidem profert absurdi, siqvidem ore uterq; sibi examussim congruit. Ubi tamen notari velim, qvod angvis ille homini nudo & inermi minitabundus inhiet, sed illum neqvaqvàm ore attingat planè, mordeatvè. Consimiliter spiritus malignus cunctis suis artibus, technis, insidiis hominem pium & nomen Domini seriò invocantem ne tantillùm qvidem lædere valet. Hæc igitur figura repræsentat dulcissimam promissionem, Esa. 11, 8. 9. *Oblectabit se lactens super foramen aspidis, & nuper ablactatus fuerit, manum suam injiciet in cavernam Basilisci: Non nocebunt neq; occident in universo monte sanctitatis meæ*, Conf. Apoc. 12, 4. 5.

SECT. 5.

Enucleantur Emblemata Circuli secundi.

Summa.

HIc Circulus delineat ministerium verbi, qvo Christus utitur ad excitandam in cordibus hominum veram fidem & pœnitentiam, ac æternam eorum salutem procurandam, Luc. 24, 47. Nam ex nobis ipsis non intelligimus ea, qvæ ad nostram salutem faciunt, & licet nonnulla intelligamus, freqventi tamen admonitione nos in officio retineri oportet, cum multa indies occurrant, qvæ nos à via salutis revocant. Ideo passim nos Deus ad verbum suum relegat, qvod etiam *verbum vitæ ac salutis* dicitur, qvia veram salutis rationem nobis tradit, Joh. 6, 68. Act. 13, 26.

Divisio.

Describunt autem hujus circuli Emblemata sacrosancti Ministerii & *causam efficientem*, qvæ vel *principalis* est, nim: ipse Christus, vel *instrumentalis*, videlicet pii Doctores; & *partes* præcipuas, qvæ duæ sunt. 1. *securos increpare*, 2. Tim. 4, 2. Tit. 1, 9. 2. *tristes consolari*, Esa. 40, 1.

1. Ministerium eqvus Christi.

Primò prodit *eqves hastatus*, per qvem, si dubitas, qvis significetur, consule qvæ in parte priori deditâ & deductâ operâ de hoc egimus argumento, & manifestè patebit, *Christum* esse hunc eqvitem, qvi non nisi *eqvo*, hoc est, sacrosancto ministerio verbum divinum fideliter prædicante corda hominum ingressus, eadem Spiritus sui gratiâ & efficaciâ occupat atq; exornat, Joh. 14, 23. Figuram derivâsse videtur Autor ex loco Ps. 45, 5. *Et decore tuo prosperè eqvita, cum verbo veritatis & proloqvere Justitiam*, &c.

2. Christus nudus prædicatur.

Nudus incedit hic eqves, ut indicet Christum cum beneficiis suis jam non, ut in Veteri Testamento, obscuris typis ac figuris adumbratum, sed *nudè*, hoc est, realiter & manifestè nobis in Evangelio exhiberi, allegans illud, Hebr. 10, 1, *Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, hoc est, realem. Hæc uberius explicantur Col. 2, 17. *Qvæ* [præcepta legis ceremonialis] *sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.*

Porrò ostendit hic annulus utramq; verbi prædicandi doctrinam, *Legem & Evangelium*.

Doctrina Legis.

Legis efficaciam corda hominum penetrantis & aperientis, nec non peccati sensum ac dolorem in iis excitantis duorum hominum duæ commonstrant imagines. Prior utraq; manu vibrans gladios utrinq; acutos & incidentes, repræsentat vim & efficaciam illam verbi prædicati descriptam, Hebr. 4, 14. *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrantior qvovis gladio ancipiti*, &c. Alter qvi intenso arcu prosternere feram conatur, provocat ad locum, Zach. 9, 13. *Extendi mihi Judam qvasi arcum*, &c.

Gladius.

Arcus.

Servi Dei nudè agant.

Uterq; *nudus* apparet, ut verbi concionatores de duobus moneat. 1. Ut sermo

sermonem Domini prædicent *nudè*, hoc est, simpliciter & perspicuè, absq; omni orationis fuco atq; lenocinio, sine ostentatione humanæ sapientiæ, eruditionis, eloqventiæ, &c. 1. Cor. 2, 1. 2. Ut in taxandis hominum delictis *nudè*, hoc est, candidè & apertè agant absq; omni affectu, adulatione, προσωποληψία, obtemperantes jussui divino: *Clama ex gutture, nemini parcas*, Esa. 58, 1. *peccantes coram omnibus argue*. 1. Tim. 5, 20. *Insta tempestivè, intempestivè: argue, increpa, exhortare*, 2. Tim. 4, 2. *Dicas eis: Hæc dicit Dominus, sivè audiant, sivè negligant*, Ezech. 2, 4. 5.

Præco Evangelii.

Vir ille barbatus, præcinctus veste oblongâ talari, & cornu manibus tenens, typus est Præconis Evangelici, qvi svavissimis suis concionibus erigere novit afflictas ac perturbatas conscientias, consternatas, legis comminationibus, & sanare corda sensu iræ Dei lethaliter vulnerata: atq; ita *consolari populum Domini & loqvi ad cor Jerusalem* Esa. 40, 1. *mederi contritis corde & alligare dolores eorum*, Psal. 147, 3 Esa. 61, 1. *Confortare manus dissolutas & genua debilia robonare*, Esa. 35, 3.

1. Habeat usū & experientiam.

Barbatus existit, utpote qvi provectioris est ætatis [*nam* Hebr. יקן *simul denotat & senectutem & barbam*, senectutis indicem, vide Levit. 13, 29. 30. cap. 19, 27. 32. 1. Sam. 21, 13. 2. Sam. 10, 4. 5. Esdr. 9, 3. Ps. 33, 2. Esa. 7, 20. Jer. 41, 50. Eccles. 51, 12.] ideoq, non solùm eruditione & doctrinâ, sed experientiâ qvoqve, ac longo rerum variarum usu conspicuus: qvia *in senibus est sapientia & in multo tempore prudentia*, Job. 12, 12. Qvo innuitur, functionem Ecclesiasticam & præsertim præcipuas ejusdem partes haud consultò junioribus & imperitis committi, qvi nondum exercitati nullâ pollent vel autoritate vel prudentia, de qvibus illud Nazianzeni orat. in laud. Athanas. usurpabitur: *Heri sacrorum expertes, hodiè sacrorum duces*. Apostoli qvondam tales Ecclesiæ docendæ & gubernandæ præficiebant, qvi dici poterant πρεσβύτεροι, 1. Pet. 5, 1. Et Paulus in Episcopo reqvirit, ut ne sit Νεόφυτος, 1. Tim. 3, 6.

2. Dona necessaria.

Vestitus est & qvidem solus Præco noster, cum cœteri omnes hujus cornu homines nudi conspiciantur, qvo duo indicantur. 1. Christum eos, qvibus legitimè docendi munus in Ecclesia concredidit, necessariis dotibus instruere, & singulari gratiâ induere Spiritus S. qvi illis suggerit, qvæ ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ loqvantur, Matth. 10, 19. 2. Horum operâ & ministerio verâ in cordibus nostris excitari fidem, qvâ vestem induimus pretiosissimam, nempe justitiam Christi, qvi sua innocentiâ & sanctissimo merito peccatorum nostrorum, fœdissimam nuditatem tegit, ne coram Deo confundamur, sed verè gloriari qveamus: *Induit me vestimentis salutis, pallio justitiæ amicivit me*, &c. Esa. 61, 10.

Fidem salvificam in cordibus auditorum excitet.

3. Ad Christū ducat.

Cornu, qvod utraq; tenens manu, sitientibus & anhelantibus qvasi porrigit, insinuat Jesum Christum *Cornu Salutis*, Luc. 1, 69. ex qvo efficacissimus hauritur potus, animas nostras reficiens, curas levans, molestias mitigans, Johan. 4, 15, Matth. 11, 28. Exprimit pictura notam præcipuam pii & fidelis concionatoris, qvi auditores suos non ad sanctos demortuos, non ad ulla humana merita ac præsidia, sed ad solum Christum ducit, tanqvam unicum Evangelii scopum, salutis fulcrum, cœli viam, vitæ Januam, Joh. 10, 9. cap. 14, 6. Nec ipse solùm judicat cum Paulo *se nihil aliud scire nisi Jesum Christum & hunc crucifixum* 1. Cor. 2, 2. sed omnibus qvoq; indies acclamat: *Non esse in alio qvoqvam salutem, nec aliud nomen esse sub cœlo datum hominibus, in qvo oporteat nos salvos fieri, præter nomen Jesu Christi*, Act. 4, 12.

Mihi autem dispicienti, ex qvonam Scripturæ loco hoc depromptum sit,

Pſ.132,16.17 Emblema, commodè occurrit dulciſſima promiſſio extans Pſ. 132, 16.17. & hunc virum cum ſuo *Cornu* & amictu ad vivum depingens, qvæ ita habet: *Sacerdotes ejus induam ſalute*, h. e. miniſtros Eccleſiæ commodis & neceſſariis dotibus inſtruam, ut munere ſuo rectè fungantur, & hominum ſalutem unicè procurent, docendo fideliter Evangelium, qvod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom.1,16. *Et ſancti ejus exultatione exultabunt*, hoc eſt, omnes auſcultantes Evangelii concionibus ſentient inde in afflictâ conſcientiâ gaudium Pſ. 51, 10. pacem & lætitiam, Rom.5,1. *Illic germinare faciam Cornu David*, hoc eſt, Meſſiam è ſtirpe Davidis oriundum inſtar ſurculi enaſcentis ex trunco arboris reſectæ, Eſa. 11, 1. *parabo lucernam Chriſto meo*, h.e. excitabo doctores pios & cordatos, qvi fidem Jeſu Chriſti omnibus annunciabunt & inſtillabunt, ut ipſe, veluti lux clariſſima & verus ſol juſtitiæ detersâ omni fuligine & ſqvalore impietatis & inſcitiæ, undiq; fulgeat, undiq; corruſcet, ſuiq; meriti & mortis efficaciam conſpiciendam & guſtandam omnibus præbeat, Mal. 4, 2. Lucæ 1, 79. Joh. 1, 4. 5. &c.

SECT. 6.

Explicantur Emblemata circuli tertii.

Summa. NUnc demùm Autor attingit ſcopum ſuum, ad qvem præcipuè collimaverat, horum notatione Emblematum, ad qvem etiam hactenùs viam ſtravit, ut nimirum ſummam hoſtium Chriſti ſævitiam & immanitatem, vivis depictam coloribus, omnium oculis ſubjiciat.

Diviſio. De duobus agunt imprimis hujus circuli ſimulachra: primum homicidii atrocitatem repræſentat, reliqva ingenium & indolem homicidarum perſtringunt.

1. Homicidii atrocitas. Homo hominem à ſe mactatum in pectore geſtans, injuſtæ cædis & homicidii fœditatem oſtendit. Qvod ſi enim hiſtorias evolvamus, homicidii ſcelus ferè apud omnes gentes atrociſſimum viſum fuiſſe conſtabit, qvod novis & inſolitis piaculis expiari oporteat. Sicuti apud Pauſaniam in Theſei hiſtoriâ patet, qvi propter occiſos Pallantis filios Trœzenem profectus eſt purgationis cauſa. Et apud Herodotum Adraſtus ſimili de cauſâ ad Crœſum Regem abiiſſe legitur. Qvo etiam referri meretur, qvod de Melitenſibus, Actor. 28, 4. traditur, qvi cum Pauli recens ex naufragio elapſi manum à viperâ ſubito invadi viderent, mox homicidam eſſe putarunt, qvem vindicta divina perſeqvatur, & ex mari ſalvatum vivere nolit. Hinc qvoq; Nautis, qvamvis hominibus barbaris & in gentiliſmo inſtitutis graviſſimum videbatur, Jonam in mare projicere, qvem manifeſto Dei Judicio ad mortem poſtulari videbant, nec ad extremum hoc medium confugerunt prius qvam omnia neqvicqvam tentâſſent, & ad preces inſuper ardentiſſimas converſi, culpam coram Domino deprecati eſſent.

Et ſanè ſi rem ipſam penitiùs inſpiciamus, non temerè Deum hominibus hunc naturæ ſenſum inſeviſſe patebit, ut ab homicidiis tantoperè abhorreant.

2. Primò enim homicidio in ipſas naturæ leges peccatur, qvæ ut communi neceſſitatis vinculo nos ud mutuam beneficentiam obſtrinxit, ita inermes qvoqve creavit, ne vindictam nobis commiſſam putemus. Ergo ab hominis naturâ & ſenſu omnium nihil magis alienum eſt, qvam illum occiſum & exſtinctum velle, qvem ejuſdem tecum naturæ & conditionis conſortem Deus creavit. Et legem hanc bruta animalia imò immaniſſimæ feræ agnoſcunt, qvæ vel nunqvam vel certè rariùs, & non niſi maximis de cauſis, cum ſuis generis beſtis de vitâ dimicant. Rectè igitur Juſtinus Martyr ait q. 10. ad orthod. *Non abſorbet homo hominem naturâ.*

Deinde

Deinde in ipſa religionis Chriſtianæ myſteria peccat qviſqvis proximum occidit, cum qvo ejuſdem corporis membrum eſt ſub Chriſto capite, qvi nos in Spiritus unitate conjunctos eſſe vult, Epheſ. 4, 3. 4. Unde ab Eccleſiæ & ſpiritualis & cœleſtis communione ſemetipſos homicidæ excludunt, Gal. 5, 21. Apocal. 21, 8. cap. 22, 15. 2.

Præterea in ipſum Deum ſcelus hoc nefandum redundat, qvi hominem ad ſuam imaginem condidit, & poſt lapſum filii ſui merito reſtituit, ejusq; vitâ delectatur, qvem proinde violari impunè non ſinit: unde homicidæ à Diabolo, hoſte Dei infenſiſſimo agitari perhibentur, Joh. 8, 44. 3.

Taceo nunc, qvod communi hominum ſocierati, ſine qvâ vita nobis nec commoda nec jucunda eſſe poteſt, nihil magis adverſetur: ſiqvidem homicidiis impunè graſſantibus, nec publica pax nec privata hominum incolumitas conſiſtere poteſt. 4.

Qvapropter ab ipsâ rerũ origine leges tulit Deus, qvibus cædes & ſangvinis effuſionem mirâ ſeveritate prohibuit. Nam priuſqvam populi ſui politiam per Moſen conſtitueret, ſtatim in ipſo Mundi exordio cædes ſe odiſſe & punire Caini exemplo docuit Gen. 4, 10. & ſeq. Deinde poſt diluvium renaſcenti Mundo legem dedit his verbis: *Qvi effundit ſangvinem hominis, hujus ſangvis per hominem effundetur, qvoniam in imagine Dei hominem fecit* Gen. 9, 6. In lege verò tam multa tamq; gravia ejus generis præcepta occurrunt, ut illis commemorandis immorari non ſit opus, vide Exod. 21, 12. Num. 35, 31. 32. Deut. 19, 12. 13. &c. Illud tamen nunqvam non animis & oculis noſtris obverſari debet, qvod ipſe Chriſtus homicidii veterem legem, primo in terris agens [Matth. 26, 52.] deinde cœlitùs in revelatione ſuâ [Apoc. 13, 10.] ſui nominis autoritate ſtabilire voluit. 5.

Nec deniq; prætereundum eſt, qvod ipſa terra pollui malitiosè commiſsâ cæde, nec aliter niſi ſangvine homicidæ purgari poſſe perhibetur, Num. 35, 33. unde Deus etiam homicidium incerto autore factum publicè & ſolenniter expiari juſſit, ne illius reatus civitati imputetur, intra cujus limites illud perpetratum fuit, Deut. 21, 1. & ſeq. 6.

Hæc, inqvam, hac imagine depingere voluit Autor, partim perſtringens infelicem ſui ſæculi crudelitatem & tot cædes illicitas publicè & privatim commiſſas, adeò ut undiq; conſpiceretur *multitudo confoſſorum & ingens numerus cadaverum*, &c. Nah. 3, 3. Et *cædes alia aliis fierent contiguæ*, Hoſ. 4, 2. Partim deſcribens triſtiſſimam homicidarum conditionem; qvantos nimirùm conſcientiæ terrores & conſternationes ſibi ipſis adſciſcant, qvantâ confuſione & ignominiâ ſint appariturі in judicio extremo, ubi proximus ab eis interfectus, verſabitur cruentatus adhuc ante oculos; & qvaſi inhærens pectori ipſorum, plenam ac ultimam ſupremi Judicis expoſcet ſententiam, qvam deprecatur David Pſal. 51, 16. *Libera me de ſangvinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Depromptum videtur Emblema ex Eſa. cap. 26, 21. *Revelabit terra ſangvinem ſuum, & non operiet ultrà interfectos ſuos.*

Si ad temporis illius hiſtoriam, qvo fabricatum fuiſſe cornu noſtrnm infra oſtendemus, exactè referre libet hanc effigiem, comparebunt variæ homicidiorum ſpecies, tunc graſſatæ, hic notatæ.

Primo loco nominamus ſacra illa horrenda & abominanda, olim etiam majoribus noſtris uſurpata, qvorum ſuperſtitionis licentia eò uſq; progreſſa eſt, ut Deos ſuos humanis victimis placari putarent & religionem in parricidio qværerent: qvemadmodum Clariſſ. Dn. D. Wormius fœda hæc atq; execranda ipſorum ſacrificia prolixè perſeqvitur lib. monum. Dan. cap. 5. Mirum ſanè videri 1. Victimæ humanæ.

deri poterat, homines contra naturæ leges eò vesaniæ deveniſſe, niſi Dei populum eadem factitaſſe conſtaret, & qvidem poſtqvam legem â Deo accepiſſet, qvâ impietas hæc non absq; diris comminationibus prohibetur: vid. 2. Reg. 17, 17. cap. 21, 6. cap. 23, 10. Mich. 6, 7. &c.

2. Duella.

Deinde invehitur Autor hoc ſchemate in barbaram illam Danorum conſvetudinem, qvi tum temporis lites & controverſias non jure ac judicio, ſed duello atq; monomachiâ dirimebant; qvo ſæpius evenit, ut non tam juſtiores qvàm fortiores obtinerent cauſam, nec parum innocentis humani ſangvinis malitiosè effunderetur: donec tandem ſub Svenone I. abrogata fuit impia hæc conſvetudo, poſtqvam miniſterio *Popponis*, profligatis gentilium ſuperſtitionibus Chriſtiana ſucceſſiſſent ſacra. Utinam verò in hac Evangelii luce gentilis illa & pluſqvam belluina barbaries haud rurſus inter nos vigeret, & apud illos etiam vel præcipuè invaluiſſet, qvos ab omni barbarie alieniſſimos eſſe & genus jubet & profeſſio, non tot immaniſſimæ indies contingerent cædes, nec terræ noſtræ innoxio pollutæ ſangvine indignatio divina ac clades graviſſimæ attraherentur Ezech. 36, 18. Intueantur illi, qvæſo, hanc figuram, & videant qvantum onus ſibi ſuæq; injiciant conſcientiæ, qvibus hominem jugulare nunc luſus jocusq; videtur; ex qvo facinore nonnulli etiam præcipuam fortitudinis laudem venantur. Sed *Poppone* aliqvo opus fuerit, qvi miraculosè opinionem illius gloriolæ, qvam captant hoc modo, ex animis eorum radicitus evellat.

3. Perſecutiones.

Accuſat inſuper hæc pictura eorum imprimis furorem & ſævitiam, qvi ſervos ac cultores Chriſti, vario injuriarum genere fatigatos, acerbiſſimè perſeqvebantur, & non ſolum calumniis, ignominiis, exiliis, bonorum confiſcationibus, ſed plures etiam morte ob Evangelii confeſſionem mulctabant. His igitur præcipuè monſtrat Emblema, qvam ſtolidè & atrociter agant; 1. Dum ipſum Chriſtum in membris ſuis qvaſi mactant ac rurſum crucifigunt Heb. 6, 6. qvi hoc nomine cuiq; ipſorum acclamat: *Qvid me perſeqveris?* Act. 9, 4. 2. Dum non modo piis hominibus à ſe iniqvè afflictis gemitus & ſuſpiria extorqvent Proverb. 29, 2. atq; ita tyrannicâ ſuâ crudelitate *viros in civitatibus gemere & animas vulneratorum clamare faciunt* Job. 24, 12. ſed etiam clamorem occiſorum vindictam atq; ultionem *divinam* expetentium in ſe derivant; id qvod ſingulari viſione revelatur Johanni Apoc. 6, 9. 10. *Vidi ſub altari animas interfectorum propter verbum Dei & teſtimonium: qvod habebant: Et clamabant voce magna, dicentes: uſqveqvò Domine, qvi ſanctus es & verax, non judicas ac vindicas ſangvinem noſtrum de his, qvi habitant in terrâ?* Exemplum vide Gen. 4, 11. de ſangvine Abelis, à fratre Caino immaniſſimè trucidati, in cœlum clamante & vindictam poſtulante.

4. Bella injuſta.

Exprobrat etiam hæc effigies injuſta & non neceſſaria bella, qvæ Dani gentiles eâ tempeſtate ſubinde in populos movebant vicinos, Chriſti ſacris addictos, veluti Saxones, Friſios & alios, partim odio religionis partim ferociâ ac prædæ cupiditate: in qvibus & aliorum bona iniqvè diripuerunt, & illos non rarò occiderunt, à qvibus nullâ unqvam læſi fuerant injuriâ, nec non ſeipſos temerè in periculum adduxerunt. Qvo nomine ſe ſuasq; terras & civitates obnoxias reddiderunt comminationi Prophetæ, Nah. 3, 1. *Væ civitati ſangvinum, qvæ tota eſt plena mendacio & rapinâ.*

Belli mala.

Atq; hùc imprimis tendunt non modo hocce primum ſed omnia etiam ſeqventia hujus circuli Emblemata, ut Belli minimè belli mala & incommoda nobis ob oculos ponant. Sicut enim inter arma ſilent leges, ita & virtutum ſtudia negliguntur & abjiciuntur. Nullus eſt in bello locus miſericordiæ ſeu bonitati,

tati, ſed potiùs crudelitas dominatur; qvæ paſſim in corpora & facultates hominum ſævit. Nulla eſt veritas aut fides in pactis: ſed perfidiâ, dolis & fraudibus certatur. Nulla colitur juſtitia: qvia labefactata judiciorum autoritate, aut turbato ordine in repub. & nervis judiciorum inciſis, coërceri petulantes & rapi ad pœnas non poſſunt. Hinc homines variis afficiuntur injuriis, vaſtantur oppida & agri, vitiantur uxores & virgines, diripiuntur templa, prophanantur ſacra, complentur omnia cædibus & latrociniis, & triſtiſſima ubiqve mortis imago occurrit. Bellum igitur inter omnes pœnas corporales, qvibus Deus in hominum peccata animadvertit, duriſſimam ac graviſſimam eſſe palam eſt. Lege Levit. cap. 26. Deut. 27, & 28. Eſa. 13. Jerem. 4. &. 5. &6. Thren. 2. 2. Sam. 24, v. 13. 14. &c.

Pax filiis belli legitimi.

Hoc cogitent, qvi ex indomitâ regnandi & potentiam ſuam augendi libidine bella vel injuſtè ſuſcipiunt, vel legitimè etiam ſuſcepta rurſus deponere nolunt: Et præſertim, ſi inſigni aliqvâ clade vires hoſtium ſuorum attriverint; hanc ſibi divinitus contigiſſe felicitatem ſciant, non ut flammam furoris, ſævitiæ & avaritiæ ſuæ in perniciem humani generis magis magisq; ſpargant, non ut omnia longè lateq; cædibus, lanienis, rapinis, ſacrilegiis miſceant; non deniqve, ut qvodvis in qvemvis pro libitu ſtatuant: ſed ut eò commodiùs pacem æqvam ac ſalutarem Mundo reſtituant, totqve Eccleſiæ & Reipub. lethalibus vulneribus medeantur. Qvem ſcopum qvi neutiqvam ſibi propoſitum in bello habent; non bellum gerere legitimum ſed apertum exercere latrocinium meritò dicuntur: nec aliud inde, qvam temporalem confuſionem & æternam perditionem reportabunt; Eſa. 47, 9. Ezechiel. 23, 2. & ſeqq: Pſalm. 109, 15. 16.

Indefinenter belligerantium pœnæ.

Teſtatur hoc Experientia infinitis penè exemplis, antiqvis & modernis, eorum, qvi inextingvibili bellandi ardore flagrantes, nullum ſævitiæ ſuæ imponere finem potuerunt, ſed bella bellis ſerendo, aliam poſt aliam evertere regionem perrexerunt, donec ipſi tandem judicio divino ignominioſe pereuntes, pace ſimul temporali & æternâ orbati, ſui memoriam odioſam atqve omnibus ſæculis execrandam reliqverunt, Eſa. 14. 4. & ſeq. Jer. 51, 40. Joel. 2, 20.

Qvod ſi hæc illos parùm moveat conſideratio, inſpiciant, qvæſo, *Cornû* noſtrum, & certò ſibi perſvadeant, qvemadmodum hic homo hominem à ſe trucidatum perpetuò ſibi impoſitû portare cogitur, ita in ipſorum hærere conſcientiâ non unum ſaltem cadaver, ſed multas hominum myriades; in diuturno hoc eſt funeſtiſſimo bello, famè, gladio, aliisq; modis conſumptorum; de qvorum ſangvine & interitu ſupremo Judici aliqvando rationem exactè & ſeverè ſunt reddituri, atqve ita experturi vim comminationis JESU CHRISTI: *Ut veniat ſuper vos omnis ſangvis juſtus, qvi effuſus eſt ſuper terram*, Matthæi 23, 35.

Svenothonis parricidium.

Si *cornu* hujus fabricationem Regi *Svenoni* I. aſcribere placet, optimè qvadrabit in acta ipſius hoc Emblema, qvi à magnatibus & proceribus regni impulſus, ejuratam à ſe religionem Chriſtianam profligare ex toto Daniæ regno conatus, & magnâ crudelitate in confeſſores ejuſdem graſſatus, arma adverſus patrem *Haraldum*, hoc nomine etiam ſumpſit, qvibus parens ipſius non ſolùm regno ejectus, ſed vitâ qvoq; ſpoliatus fuit. Hinc [procul dubio] onus intolerabile ſuæ impoſuit conſcientiæ, qvam anxiis ſubinde morſibus ac doloribus vellicari & miſerandum in modum diſcruciari ſenſit, dum cruenta parentis ſuâ culpâ occiſi imago nocte dieq; ipſius & oculis obverſari & pectori incubare minitabunda videbatur, unde qveritari neceſſe habuit: *Non eſt pax offi-*

bus meis à facie peccatorum meorum, Psal.38,4. Hanc conscientiæ suæ afflictissimę carnificinam olim ex impietate, parricidiò, contemptu Numinis aliisq; scelerib⁹ contractam, hac picturâ innotescere omnibus voluit *Sveno*, ut suo territi exemplo, à similibus flagitiis desisterent, & Christi imprimis doctrinam odisse, ejusq; lædere cultores cessarent; ne & ipsi tandem oppressi conscientiæ angorum & tormentorum onere, in desperationem abriperentur, sensuri illud, Ps. 38,5. *Iniqvitates meæ transgressæ sunt caput meum, sicut onus grave, aggravatæ sunt super me.* Sed hoc potius agerent, ut verâ fide & conversione peccatorum onus à pectore suo rejicerent in Christum, *agnum Dei qvi tollit peccata mundi*, Joh.1,29. Verùm hoc infra prolixius ventilabitur, ubi de Autore *cornu* nostri disqvirendum erit.

Qvemadmodum figura prima ipsum reatum seu scelus homicidii depinxit, ita reliqvæ hujus annuli imagines exprimunt indolem eorum, qvi hoc flagitio contaminare sese non erubescunt.

2. Bellatorum contumacia.

Centaurus ille superiore parte homo, inferiore Eqvus velociter currens, repræsentat istorum hominum effrenem atq; indomitam licentiam, & præfractam contumaciam, qvi, omnibus disciplinæ frenis & repagulis qvasi ruptis, pleno ac furioso impetu feruntur ad qvodvis flagitium, adeoq; in certum ruunt exitium, nec ullius hominis monitis & adhortationibus retrahi sese patiuntur. Qvibus competit illud Jerem. 8,3. *Omnes conversi sunt ad cursum, qvasi eqvus impetu vadens ad prælium.*

3. Monstrositas.

Duo illa monstra, humano corpore, & belluinâ facie, ostendunt manifestam omnium scelerum licentiam, conjunctam cum immani & Cyclopico supremi Numinis contemptu. Qvalis describitur Exod.5,2. Ps.10,4.5. Esa.1,4. cap.30,9. & seq. Jer.44,16.17. Hos.4,1.2.2. Reg.17,14.15. Prov.1,24.25. &c. His meritò assignatur non tam venter, humerus, collũ aut aliud aliqvod membrum qvam *caput* ferinæ formæ: siqvidem in hac humani corporis principe parte potissimum sese exerit omnis vis rationis, sensuum internorum & externorum. Qvicqvid igitur ejusmodi homines efferati in capite agunt vel in cerebro meditando, vel oculis videndo, naribus odorando, auribus audiendo, ore gustando, dentibus mordendo, lingvâ loqvendo, &c. id omne meram redolet belluinam insolentiam, ferocitatem, maliciam.

Capitis monstrosi descriptio.

Libetnè audire scripturam ferini hujus capitis partes monstrosas singulatim recensentem? qvod videlicet *frons* sit *chalybea*, Esa.48,4. *cervix ferrea*, ibid. *aures præputiatæ*, Jerem. 6,10. *oculi obcæcati*, 1. Johan. 2,11. *Os bilingve*, Proverb. 8,13 *Lingvæ flagellum*, Job. 5,21. *Dentes hastæ & sagittæ*, Psal. 57,5. *molares cultri*, Proverb. 30,40. *Labia gladii*, Psal. 59,8. *Guttur sepulchrum patens*, Psal. 5,10. *facies ventus urens*, Hab. 1,9. &c.

Capitis monstrosi actiones.

Qværis, qvidnam monstra illa hominum horrendo hoc capite ferant, agitent, efficiant? Respondet codex sacer: *Faciem supra petram indurant*, Jer. 5,3. *Vultum procaciter obfirmant*, Proverb.21,29. *frontem meretricis ostentant*, Jerem. 3,4. *aures surdas*, Mich.7,17. *obturant*, Psalm. 58,5. *aggravant*, Zach.7,11. *à lege Dei avertunt*, Proverb.28,9. *oculis insatiabilibus*, Sir.14,9. *plenis adulterij*, 2.Pet. 2,14. *nutant*, Esa. 3,17. *scortantur*, Ezech. 6,9. *Os pravum*, Prov.4,24. *abundans malitiâ*, Psal. 50,9. *plenum execratione, amaritudine & dolo*, Psal.10,7. *ponunt in cœlum*, 73,9. *dilatant contra proximum*, Psalm. 33,21. *Dentibus ferreis*, Daniel. 7,7. *leoninis*, Joel. 1,6. *frendent*, Psal. 35,16. *fremunt*, Job. 16,9. Thren.2,16. *stridٍent*, Marc. 9,18. *In labiis ignem ardentem*, Prov.16,27. *sub labiis venenum aspidum gerunt*, Ps.140,4. *Lingvâ*, qvam ut *gladium*, Ps.64,4. *acuunt sicut Serpentes*, Ps.140,4. *proxi-*

mum percutiunt, Jer.18,18. &c. Qvid qvæso est hominem exuere, & monstrum immane ac horrendum induere, si hoc non est?

4. Lupina & Canina indoles.

Hæc in genere de capite monstroso dicta sunto: In specie persequi possem hunc sermonem, & monstrare, qvomodo *Lupi* & *Canis*, qvorum facies homines isti efferati habere videntur, vitiosas proprietates æmulentur; & *Lupi* crudelitatem, astutiam, voracitatem, rapacitatem, ululatum, &c. *Canis* iracundiam, rabiem, invidiam, impudentiam, morsum latratum, &c. imitentur: ut, qvi ab his impetitur, se & *à Canibus circumdari* Psal. 22,17. & *à Lupis vespertinis vastari* Jer.5,6. Jure meritoq; conqveratur. Sed hæc perspicaci lectori ulterius scrutanda relinqvo.

5. Violentia.

Deniq; non absq; causâ homines illi ferinâ facie pinguntur armati, & qvidem alter strictum gladium falcatum, alter securim expediens ad feriendum, utpote, qvi justitiam, æqvitatem, mansvetudinem flocci faciunt, nihil jure aut legibus agunt, omnia vi, furore, impetu perpetrant, Psal.73,7.8. Prov.28,15. Dan.5, 19. Hab.2,8. &c. Exemplum insigne extat 1.Sam.20,33.

SECT. 7.

Expediuntur Emblemata Circuli qvarti.

Summa.

QVemadmodum inter septem illos circulos hic qvartus & medius est, ita medium qvoq; tenet, & qvasi dividit inter probos & improbos, inter gratiam & iram, inter vitam & mortem, & sic planè delineat protestationem illam Mosis Deut.30,19. *Testes invoco hodie cœlum & terram, qvod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum*, &c.

1. Christus Pastor.

Introducitur Pastor dextrâ *pedum* seu baculum tenens, qvo pascat pecora macilenta, famelica, morigera Zach.11,7. Sinistrâ verò *securim* levans, qvo mactet pingvia, incrassata, intractabilia, Deut.32,15. Jer.12,3. Hos.13,6.

2. Pios pascens pedo.

Qvicunq; cum pecude illâ minori in extremâ parte hujus annuli ad Christum vocantem & invitantem se sponte convertunt & qvasi assurgunt, devotâ verbi auscultatione, precibus, fide, pœnitentiâ, &c. Joel. 2,12. Zach. 1,3. Esa. 45. 22. cap.55,6.7, & sic *parati sunt in occursum Dei sui* Amos 4,12. His, inqvam, *pedo* dextræ suæ pollicetur beneficia sua pastoralia veluti *pastum* Psal.23,2. Esa.40,11. *directionem*, Joh.10,4. Ps.23,3. Ps.25,8. *defensionem*, Esa.4,6. Joh.10,28. *Sanationem* Ps 103,3. Ps.147,3. *mundationem*, 1.Joh.1,7. *refocillationem*, Matth.11,28. Psal. 23,3. & hujus generis alia similia: & qvasi repetit promissionem suam Ezech.34,11. 14.15.16. *Ecce ego ipse reqviram oves meas, & visitabo eas. Et pascam eas in montibus Israël, ad rivulos aqvarum, & in cunctis sedibus terræ: in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erit caula earum*, &c. *Ego eas accubare faciam: qvod perierat, reqviram, & qvod errabundum erat reducam, & qvod confractum fuerat obligabo, & qvod infirmum fuerat confirmabo, & qvod pingve & forte custodiam*, &c.

3. Impios mactans securi.

Contrà qvi cum duobus illis prioribus & grandioribus bestiis à fideli hoc Pastore sese non modò avertunt ac procul abeunt, sed ferociter etiam adversus ipsum recalcitrant, Deut.32,15. Verbi ejus doctrinam repudiando, præcepta negligendo, Doctores perseqvendo, Sap.2,12.15. Matth.23.34.37. Illis *securim* ostendit elevatam, veluti indicem certissimi exitii cervicibus ipsorum jamjam imminentis, exprimens illud Luc.3,9. *Jam securis ad radicem arborum posita est*, &c.

Continet itaq; hic annulus simul & dulcissimam promissionem & gravissimam comminationem, qvas conjunctim invenies, Esa.1,19.20. *Si acqviescetis, ut audiatis me, bonis terræ fruemini: sin autem renuatis atq; rebelletis, gladio consumemini*, &c.

SECT. 8.

Promuntur Emblemata circuli qvinti.

Continuatio.

VIas qvidem duas, alteram cœli, gratiæ, vitæ, salutis: alteram inferni, iræ, mortis damnationis præcedens monstraverat circulus: Qvânam verò potissimum incedant pleriq; mortalium, nunc porro indicatur. Depingit autem hicce qvintus ut & proximè subseqvens sextus Circulus summam hominum obdurationem & pertinaciam immedicabilem, qvi sacrosanctum DEI verbum prorsùs contemnunt, nec ullis admonitionibus sese corrigi patiuntur, Jer.6,10. Zach.7,11.12. Ubi tamen hæc animadvertitur differentia; prior innuit, qvomodo homines se gerunt erga Legis correptiones; posterior, qvales se præstant erga Evangelii informationes. In hoc annulo formata Emblemata duplicis sunt generis: Prius Dei beneficium nobis legem suam patefacientis adumbrat; reliqva hominum taxant maleficium, qvi universas legis conciones nefariè aspernantur, auribus *surdi*, ore *muti*, animo *feroces*.

Summa.

Divisio.

1.

Lex explicanda & applicanda.

Bini isti homines, qvi speculum affabrè exornatum subjectæ ostendunt bestiæ, ut in eo fœditatem ac deformitatem suam contempletur, typi sunt concionatorum fidelium & cordatorum, qvi legem Dei [qvam speculo designari suprà docuimus] ita & explicant & auditoribus applicant, ut hinc delictorum gravitatem ac suam bestialitatem agnoscentes, iram & maledictionem divinam cum pœnis corporalibus & æternis serio peccatorum dolore & pœnitentiâ avertere atq; humiliter per vulnera Jesu Christi deprecari nitantur, Ephes.2,18. Remittit nos Emblema ad Paulinum illud: *Per legem agnitio peccati*, Rom.3,20.

2. Peccatores obstinati.

Verùm qvonam modo maxima pars auditorum conciones admittant legales, seqventia loqvuntur simulachra. Alii *surdi* sunt ad audienda verbi monita Esa.6,10. cap.42,20. Jer.7,24. Alii *muti* ad peccatorum confessionem Gen. 3,10. Ps.32,3. Alii gravissimo insurgunt fremitu & tumultuantur adversus veritatis præcones Gen.19,9. Jer.38,6. Matth.14,3. Act.7,54.57.

1. Surdi.

Primæ classis auditores repræsentat *serpens* ille grandiori & qvasi inflato capite, tergum iis, qvi speculum ostendunt, obvertens citansq; illud Ps.5,5.6. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, qvæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Cum qvibus coincidunt qvæ extant Zach.7,11. *Noluerunt attendere, & obverterunt humerum refractarium; & aures suas aggravarunt, nè audirent.*

2. Muti.

Secundi generis hominum figura est *Piscis*, animal mutum ac vocis expers ideoq; objiciens illud, Ps.58,1. *Num verò muti estis, ut non loqvamini justitiam ô filij hominum.*

3. Feroces.

Tertiæ classis auditores denotat *coluber* ultimus hujus circuli, qvi rictu & hiatu oris omnia infesta minatur minori illi angvi seu vermi, qvi admoto capite ipsum sui admonet officii: Ita nimirùm confirmat qverelam Amos 5,10. *oderunt corripientem in portâ, & loqventem perfectè abominantur.*

SECT.

SECT. 9.

Explanantur Emblemata circuli sexti.

Summa.

HIc Circulus argumento convenit cum antecedente; nisi qvod ille hominum contumaciam contra legem, hic fastidium & contemptum adversus Evangelium præcipuè depingat.

1.

Stellam symbolum esse & Christi & Evangelii ac ministrorum ejusdem anteà annotavimus: ab hac se planè avertit grande illud caput cirratum atq; oculis destitutum, nec duas illas bestias utrinq; pleno cursu in se irruentes curat aut animadvertit. Hominum itaq; summam obstinationem & cœcitatem notat Emblema, qvi magis tenebrarum qvam lucis amantes, ad claram Evangelii prædicati lucem oculos malignè claudunt, nec in ea Redemptorem suum Jesum Christum, mortisq; ac passionis ipsius meritum salutari fide respicere & amplecti dignantur; nec horrendam supremi Numinis iram atq; æternam damnationem sibi ob peccata impendentem effugere aut avertere laborant, adeoq; in se derivant increpationem divinam, Esa. 42,19. *Qvis cœcus nisi servus meus? & surdus nisi ad qvem nuntios meos misi?*

Contemptus Evangelii.

2. Caduca nõ rarò æternis præferuntur.

Si qværis, qvidnam subsit causæ, cur homines salutis suæ adeo sint negligentes, & æterna temporalibus, cœlestia mundanis postponant? Ecce flos seu *lilium* in fine hujus apparens annuli, imago gloriæ ac felicitatis mundanæ: cujus splendor non rarò hominum oculos animosq; ita perstringit, ut qvid Deo acceptum, sibiq; salutare sit, nullo modo videre aut intelligere possint. Adeò vera est assertio Apostoli, 1. Joh.2,15. *Si qvis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Qvid autem ibidem per *mundum* intelligat, statim explicat Apostolus vers.16. *Qvicqvid est in mundo, veluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & fastus vitæ, non est ex patre sed ex mundo.* Cui consonat illud B. Augustini: *Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum.* Confer Esa. 5, 12. Exemplo est *Demas*, de qvo scribit Paulus 2. Tim.4,10. *Demas me deliqvit, amplexus præsens sæculum.*

Mundi felicitas inconstans.

Flori meritò comparatur temporalis illa felicitas, qvæ consistit in mundi honoribus, divitiis, deliciis, qvoniam hominibus maximè arridet, instar floscu-li elegantis & svaveolentis; sed subitò citoq; evanescit: sicuti monetur 1. Joh. 2,17. *Mundus transit & concupiscentia ejus.* Translatum videtur Emblema ex Esa.40,6.7. *Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus qvasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, qvia Spiritus Domini sufflavit in eo.*

SECT. 10.

Discutiuntur Emblemata Circuli septimi & ultimi.

Summa.

IN ultimo hoc circulo ultima etiam atq; efficacissima promit Autor argumenta, qvibus avocare homines à præfractâ illâ & obfirmatâ peccandi pertinaciâ conatur: si nimirùm oculis & animis ipsorum perpetuò obversentur qvatuor illa novissima, 1. *Mortis miseria.* 2. *Resurrectionis certitudo.* 3. *Judicij severitas.* 4. *Inferni cruciatus.* Qvorum tria priora omnibus in universum hominibus incumbunt, qvartum solos impios ac obstinatos manet. Utinam verò hæc meditatio penitissimè cordibus nostris maneret infixa! utiqve exstirparetur faciliùs securitas, reprimeretur iniqvitas, & *salutem nostram cum timore & tremore* diligentiùs *operaremur*. Phil.2,12. In genere inculcat hic circu-

Qvatuor novissima.

lus præceptum Siracidis cap. 7, 38. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua*, &c.

1. Mors. Prior vermium sive angvium combinatio nos nostræ admonet non modò mortalitatis, sed etiam post obitum conditionis, occinens illud Sir. 10, 12. *Cum morietur homo hæreditabit serpentes & bestias, & vermes.* Cui respondet illud Jobi cap. 17, 14. *Dixi putredini: Pater meus es; & vermibus: mater mea & soror mea.*

2. Resurrectio. Duo illa nuda crurum ossa ab angvibus rodentibus relicta, corporis humani non modò statum post mortem, sed etiam certissimè futuram aliqvando resurrectionem designant: *cum* videlicet *venerit hora, qvâ omnes, qvi in monumentis sunt* [nihil autem in monumentis reliqvum est præter ossa Matth. 23, 27.] *audient vocem filij hominis, & prodibunt, qvi bona fecerint, in resurrectionem vitæ, qvi verò mala egerunt, in resurrectionem Judicij* Joh. 5, 28. 29. Videtur Emblema proponere interrogationem Jehovæ, Ezech. 37, 3. *Fili hominis putasne fieri posse, tu reviviscant ossa ista?*

3. Judicium extremum. Proximè ad ossa illa locatæ sunt cordis nudi novem imagines, qvibus indicari puto inevitabile judicium Dei extremum, cui omnes post mortem resuscitati sistemur, monente Apostolo Heb. 9, 27. *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Ubi *corda* hominum *denudabuntur*, hoc est, intimæ & occultissimæ cogitationes, consilia, machinationes in conspectu supremi Judicis omniumq; & Angelorum & hominum revelabuntur: Qvando nimirùm ipse *illustrabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. Cor. 4, 5.

Novenarij numerus. Qvod verò corda hæc *Novenario* numero comprehendantur, tanto videlicet, qvantum capere poterat annuli latitudo; eo monemur, omnes omninò & universas ac singulas cordis nostri latebras oculis summi Judicis patere. Heb. 4, 13. qvi in illo die omnia dicta, facta, cogitata arcana etiam & abstrusissima qvæq;, qvæ nunc in imo aluntur recessu, producet in lucem, ac omnibus conspicua reddet, necqvicqvam latere tectum & absconditum sinet. Proinde novena hæc cordis repetitio insinuat illud, Eccles. 12, 16. *Deus in judicium adducet OMNE opus cum OMNI re occulta: sive bonum fuerit sive malum.* Qvod & ipse Salvator affirmat, Luc. 12, 2. *Nihil est opertum, qvod non revelabitur: nihil occultum, qvod non cognoscetur.* Confer Matth. 10, 26. Marc. 4, 22. Lucæ 8, 17. Nec potuit conditio Judicii extremi, utpote strenui, justi ac severi, alio numero aptius adumbrari: Nam, ut scribit Hieronymus in Ezech. cap. 24. *Novenarius pœnarum ac dolorum numerus est, & semper sequitur justitiam.* Faxit Deus, ut tam tremendi judicii metu abstineamus à peccatis, *vigilemus, sobrij simus, & indesinenter precemur, ut liceat nobis effugere ista omnia, qvæ futura sunt & stare ante filium hominis*, Luc. 21, 36.

4. Æterna damnatio. Improbi autem Evangelii contemptores & persecutores, qvorum hìc peccata non propter Christi meritũ fide apprehensum, *condonata* Jer. 31, 34. non *tecta*, Ps. 32, 1. non *deleta*, Esa. 43, 25, non *in profundo maris demersa* fuerint, Mich. 7, 19. Illi, inqvam, inenarrabili stupentes pavore, audient horribilem contra se Judicis sententiam, qvâ cum execrabili confusione relegabuntur ad Gehennæ supplicia & cruciatus nunqvam finiendos Matth. 25, 41. Atq; hoc est, qvod ultima ultimi hujus circuli ostendit figura, combinationem continens lacertarum seu grandiorum vermium, & qvasi intonans illud, Esa. 66, 24. *Vermis eorum non morietur.* &c.

SECT.

SECT. II.

Indicantur universalia qvædam in diversis Circulis observanda.

ANteqvam horum Emblematum explicationi Colophonem addamus, expedienda sunt qvædam notatu dignissima, qvæ in aliis atq; aliis circulis occurrunt.

1. Diabolus in varias species se transformat. In ipso situ & forma Serpentum, qvi in diversis annulis conspiciuntur, haud exigua deprehenditur varietas, dum alii magis erecti atq; extensi assurgunt, alii in plures spiras & gyros involuti complicantur: depingitur hoc modo ingenium Diaboli ejusq; asseclarum, qvi modò directè & apertâ vi in Ecclesiam Christi grassantur, modò obliq; tortuosis nexibus & variis fraudibus eandem aggrediuntur. Verè Basilius in Psalm. 32. *Diabolus*, inqvit, *varios habet flexus, qvibus hominem invadit, & impellit ad varia & contraria vitiorum genera.* Qvò imprimis referri potest locus Esa. 27, 1. Ubi duplex nominatur serpens gladio vindictæ divinæ occidendus; alter dicitur *Vectis*, hoc est, directus & oblongus in modum vectis: alter *tortuosus* appellatur. Qvi sanè locus, si dextrè fuerit discussus, huic disqvisitioni lucem non mediocrem affundet. De Serpente *Vecte* vide Job. 26, 13. de *tortuoso* Sap. 16, 5.

2. Deinde in cornu nostro præter serpentes perspicuè in eodem exaratos, occurrunt plusculæ imagines serpentinæ, sub obscuræ, variè intricatæ & punctulis tantùm extremæ superficiei ejusdem impressæ, qvæ umbras potiùs exiles qvàm expressas serpentum icones repræsentant, ita ut nonnullis lora aut angvillæ, & qvidvis aliud potiùs, qvàm veræ serpentum videantur imagines.

Clanculum nobis insidiatur. Qvo indicatur, Diabolum nonnunqvàm tam occultas & clandestinas movere insidias, ut vix ac ne vix qvidem sentiamus. Non secus ac venenum *Aspidis* leniss imum pariter & pernicios issimum perhibetur, dum morsus tam obscuros infligere solet, ut eorum indicia vix acerrimo etiam visu præditis appareant, & tamen his ipsis præsentissimam perniciem & mortem certissimam ac celerrimam affert. Idem figuratur in *Ceraste*, qvi in sabulo ita se abscondit, ut nihil præter eminentias ejus appareat, ad qvas tanqvam idoneas escas cum uno impetu advolant aviculæ, facilè capiuntur ex improviso & in prædam ejus cedunt. Ita latent sæpè in occulto nocentissimæ Dæmonis insidiæ, ubi nihil fraudis subesse existimatur. Hæc & hujus generis alia depingunt eâdem etiam imagine Scriptores sacri: ut Eccles. 10, 11. dicitur *serpens mordere in silentio*, dum videlicet non timetur nec virus ejus incantatione cohibetur. Homo itidem, qvi jam videtur omne evitâsse periculum, & in locum tutum venisse, ubi nihil amplius mali metuens, certissimo exitio involvitur inopinato, ita describitur, qvod *fugiens à conspectu Leonis incidat in ursum* [bestiam sæviorem & immaniorem præsertim amissis catulis] & hujus qvoq; rabiem atq; rictum elapsus, *domi* intra privatos parietes *à colubro in pariete latitante mordeatur* Amos 5, 19. confer cap. 9, 3.

3. Spiritualiter vel corporaliter mortuos despicit. Qvod duo posteriores circuli obscuris hisce serpentum figuris omninò careant, indicium est moris & consvetudinis Satanæ, qvi vel apertos Christi hostes & Evangelii contemptores planè obduratos atq; excœcatos [Jer. 5, 21.] vel jam mortuos ac judicio Dei sistendos [Heb. 9. 27.] occultis illis tentationibus & clandestinis insidiis infestare nec curat, nec opus habet. Siqvidem illos [obduratos] dudum *in laqveis suis captivos ducit pro suâ libidine*, 2. Tim. 2, 26. De horum

rum [mortuorum] pœnitentiâ aut deprecatione non est qvod metuat, utpotè qvæ post fata non amplius habet locum, Luc.16,25.26. 2.Pet.2,9. Rectè Cyprianus tractat. 1. contra Demetr. *Qvando istinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus: Hic vita aut amittitur aut tenetur*, &c. Proinde binis hisce annuis haud ineptè delineari reor *arentia* illa *loca* [in qvibus nullus fons vitæ effluit uti loqvitur Hilarius Can. 12. in Matth.] *qvæ perambulat immundus Spiritus postqvam exierit ab homine* [respiscente] *qværens requiem & non invenit*, Matth.12,43. Qvos enim Diabolus laqveis suis dudum implicitos ac suæ potestati prorsus mancipatos tenet, indignos judicat, qvos ampliùs occultis artibus & instinctibus exerceat: qvin potius *eis* [adhuc vivis] *utitur ad justos aucupandos & evertendos*, uti monet Greg. lib.4. moral.c.24.

Conclusio Emblematum.

Atq; hæc mihi videtur optima & aptissima ratio explicandi *Cornu* hujus *aurei* simulachra, qvæ nusqvam à tramite divinæ scripturæ discedit, nusqvàm à fidei analogiâ & religionis Christianæ principiis deviat, ad veram autem pietatem ac morum emendationem non parum facit; nec ullo modo [uti spero] impingit vel in ordinem ipsorum Circulorum sibi invicem aptissimè succedentium, vel in cujusqvam circuli Emblematum elegantissimum nexum atq; cohærentiam. Si qvis verò aliam eadem adhuc exactius & commodius expedienti monstraverit viam, rem sanè mihi gratissimam præstabit. Cum enim hìc non certis demonstrationibus, sed nudis solummodò conjecturis agere liceat, proxima tyrannidi arrogantia foret, placita sua cuiqvam ut immota ac indubitata obtrudere velle, &c.

Reliqvum est, ut paucis sententiam meam exponam de cornu nostri *ætate, autore, usu.*

SECT. 12.

De ætate hujus cornu.

Natale cornu aurei.

EX hac Emblematum enodatione qvodammodo etiam conjicere licet de ætate cornu nostri, qvod tum fabrefactum puto, cum Christiana Religio in hisce qvidem regnis innotescere & publicà prædicari cæpisset, sed cursus & propagatio ejusdem summoperè impediretur à plærisq; incolarum qvi diu in pristinâ superstitione & cultibus idololatricis pertinacissimè persistebant. Nam ab anno Christi 828. circa qvem juxta supputationem Is. Pontani *Anſgarius*, vir pietate & doctrinâ conspicuus, initium prædicationis Evangelicæ in hoc regno fecit, sævissimæ subinde tempestates & persecutiones ab idolorum Patronis excitatæ sunt in veros Evangelii doctores pariter & confessores, præsertim sub regibus *Regnero* Lodbroeg / *Erico* Barn / *Gormone* tertio & sub primis auspiciis *Svenonis* Tuffuesteg. Qvæ Religionis orthodoxæ varia fortuna ac subinde iterata persecutio duravit usqve ad annum circiter 993. cum Sveno Tuffuesteg post septennale exilium non tantum pristinam recuperavit potentiam, sed simul etiam in sanctum Religionis studium magnâ curâ incubuit, cujus opera ut & sanctissimi Viri Popponis Frisii concionibus ac ferri præsertim igniti miraculo adactus universus Daniæ populus tandem Christi cultum unanimiter susceperit. Eâ igitur tempestate inter annum scilicet 828. & 993. ortum videtur *aureum* hoc *cornu*.

SECT.

SECT. 13.

De Autore hujus Cornu.

SI pondus & pretium aurei hujus monumenti spectes, non privati cujusqvam sed Regis aut Principis ditissimmi sumptibus ac impensis fabricatum esse deprehendes: sin Emblemata in eodem formata expendas, non ab Ethnico, sed Christiano & qvidem insigni Theologo in monumentis sacris versatissimo profecta fuisse constabit. Mihi historiam illius temporis diligentiùs recolenti non unus solùm occurrit, qvi hoc *κειμήλιον* sibi suo qvasi jure vendicat.

1. Marchio Sleswicensis.

Si qvis hoc opus ascribendum putat *Marchioni Sleswicensi*, qvem Imperator Romanus constitutæ ibidem à se Coloniæ præfecerat, partim ut imperii limitem ab incursionibus Danorum tueretur, partim ut sacra Christiana commodiùs ad ipsos propagaret, meo qvidem judicio nihil profert inepti. Nam 1. ipse locus, ubi inventum fuit, non adeo procul distans Sleswico, neqvaqvam repugnat. 2. Majores nostri eà tempestate infensissimum erga Religionem gerentes animum variis malis & injuriis fatigârunt Christicolas Sleswicenses, adeoq; adversus miserum hunc populum tales omninò se præstiterunt, qvales describuntur in cornu nostro. Nam præter alias clades Dani sub *Gormone* tertio splendidum illud templum Sleswici ab Erico I. qvondam in honorem Christi conditum, tanqvam sacrilegum aliqvod impietatis domicilium, ab imis erutum fundamentis everterunt: Et sub *Haraldo* Blaatand apud Sleswicenses ipsum Marchionem ex improviso cum legatis Imperatoris circumventum trucidârunt, deletâ insuper ibidem loci Germanorum Coloniâ. Qvod si ergò Sleswicense sit hoc cornu, vel in hoc vel in alio qvodam cum Danis conflictu amissum fuisse verisimile est, & præsertim, cum Imperator *Otho* fugienti similis è Cimbriâ reduceret exercitum, & extremum ejus agmen in hoc ipso tractu, utpote Regni utriusq; limite, ab exercitu Danorum funderetur.

2.

Si qvis malit tanti pretii ac ponderis opus Regi alicui Danorum assignare, ita tamen, ut regio qvidem jussu & regiis impensis fabrefactum sit, inventio verò Emblematum in eo extantium viro docto & sacrarum literarum apprimè perito imputetur, non video qvicqvam absurdi ista contineri sententiâ. Ita vel *Anſgarius* autor erit horum Emblematum aut Collega ejus *Authebertus*, vel postmodùm *Unno Hamburgenſis* vel demum Præsul Ecclesiæ Ripensis, Sleswicensis aut alius qvis Evangelii præco fidelis & eruditus; jubente ac sumptus suppeditante pio qvodam Rege eâ tempestate regnante, ut *Haraldo* Klack / *Erico primo*, *Erico secundo* Barn post conversionem, *Frothone sexto*, vel imprimis *Haraldo* Blaatand / qvi tanto fervebat studio religionis promovendæ, invitis etiam subditis, ut hanc præcipuè ob causam regno pariter & vitâ fuerit orbatus.

Primævi Danorum Doctores.

Primævi religionis Patroni.

3. Svenotho.

Mihi autem sollicitè circumspicienti, hujus tam rari & præclari monumenti autorem commodissimè se offert Rex *Sveno primus*, aliàs *Svenotho* vocatus, qvi primùm cum patre *Haraldo* veræ religionis notitiâ imbutus, eandem postea ex instinctu procerum regni non modò ejuravit, sed etiam totam ejusdem stirpem à radice convulsit, eoq; autore Dani susceptum Divinitatis cultum repetitâ superstitione mutârunt. Rursus verò & ad Christum conversus & ad sceptrum regium reversus *Sveno* nihil prius aut antiqvius habuit, qvàm cultum Christi ac legitima sacra instaurare, qvod aliqvando ob incolarum odium

& hostilem animum adversus doctrinam Christi differre coactus fuit. Duplex igitur ratio insinuat dictum *Svenonem* hujus cornu autorem.

6. Qvia monstrosam ac vesanam illam contumaciam adversus conciones verbi prædicati per notas cornu nostri figuratam non tam in aliis expertus, qvàm ipse malignè exercuerat, adeoq; in suâ conscientiâ & intimis præcordiis senserat earundem vim & efficaciam. Taceo qvod imprimis Emblemata circuli tertii exactè qvadrent in hunc *Svenonem*, qvi characteribus istis fortè deliculi tertii exactè qvadrent in hunc *Svenonem*, qvi characteribus istis fortè deliceare voluit acerbos conscientiæ suæ stimulos & aculeos, qvibus indies torneare voluit acerbos conscientiæ suæ stimulos & aculeos, qvibus indies torqvebatur ob priora flagitia, & præsertim duos maximos reatus. *parricidium* atq; *sacrilegium*, unde etiam totidem gravissimis suppliciis, *captivitate* & *exilio* mulctatus fuerat, ut hoc modo populi animos à similibus flagitiis & præcipuè ab illo Religionis odio ac contemptu absterreret. Videantur qvæ suprà ad primum Emblema circuli tertii notavimus.

Ejus parricidium & sacrilegiū.

2. Deinde hanc sententiam non parùm stabiliunt, qvæ Saxo noster de animo & proposito hujus Svenonis post receptum domi sceptrum prolixè commemorat libr. 10. *Ita*, inqvit, *Sveno eodem penè tempore & religioni paruit & patria potitus est. Ne autem, qvorum favorem impietate contraxerat, sanctitatis irritamento odia in se repentè trajiceret, publicè dissimulatâ religione, privatim exhibitâ, pium mentis habitum texit. Itaq; diversi motus iisdem præcordiis inclusi, summa formido ac sanctissima devotio animum ejus perplexâ cunctatione distractum ad ultimam penè hæsitationem redegerant. Hinc enim perdendi regni, inde lædendi Numinis metus pectoris ejus munimentum ancipiti periculo vulnerabat. Fastiditæ siqvidem Religionis ultorem DEUM, plebem cultæ vindicem metuebat. Qvæ tam dissona studia attentiore animi comparatione expendens, plus divini qvam humani timoris viribus indulgendum providit. Privatim itaq; majores aggressus, clandestinâ admonitione sacris ritibus subjicere perseverabat dissentientes officium, qvod à literis doctrinâq; non traxerat, rudi atq; impolito ingenio perfecutus: adeo Præceptoris partes, qvas solertiâ ac consvetudine parùm complexus fuerat, à fundandæ Religionis cupidine mutuabatur. Verùm medelæ salubritatem ab incolumi capite qvæsitam, ab aridis atq; indignantibus membris evomi crederes. Neq; enim amator veterum populus docilem inusitatis animum præbere sustinuit: qvin etiam externi cultus tædio patrium æmulatus est.* Hactenus Saxo. Hìc judicet, qvæso, candidus Lector, an ullius magis statui, tempori, conatui, qvam hujus *Svenonis* conveniant Cornu nostri Emblemata? qvæ manifestè depingunt populi illius vesanam malitiam suo Principi in negotio tam sancto ac pio nefariè obluctantis.

Studium religionis.

Nec aliud remedium aptiùs & convenientiùs adhiberi potuisse tum temporis videtur ad convincendos homines adeo pertinaces atq; ad frugem revocandos: præsertim cum publicum verbi præconium nec Rex potuisse audacter usurpare, nec populus admittere ullo modo voluisse videretur. In characteribus verò illis notandis, ac formandis usum fuisse *Svenonem* consilio cordati alicujus Theologi credibile est, & fortasse *Popponis Frisii* viri religiosissimi, qvi prius incolarum animos salutaribus monitis & concionibus flectere neqvicqvam tentavit, qvàm ad miraculum flagrantis ferri progrederetur.

Poppo.

SECT.

SECT. 14.
De usu hujus cornu.

HIsce ita expeditis non magnoperè laboramus de usu, qvem aliàs præbere potuerit hoc cornu. Autoris fuisse mentem, ut Emblemata in eo contenta, eorumq; significata & qvamplurimis innotescerent, & qvàm freqventissimè occurrerent, nemo facilè ibit inficias, si igitur in solennibus comitiis ac conventibus, in qvibus de publicis Regni negotiis consultandum esset, adhibitum fuisse ad populum convocandum statuamus, nulla nobis (ut spero) jure imputari poterit absurditas. Siqvidem nostratibus etiam hodiè usitatum est publica comitia tubarum denunciare clangore,

1. In comitiis publicis.

Primævis etiam Christianis loco campanæ inserviisse. *Cornu aureum* & præsertim ab eximio aliqvo doctore, ut *Ansgario*, *Unnone*, *Poppone* vel alio qvodam inflatum, ad cogendam concionem, qvoties verbi divini prædicatio instituenda fuit, non ineptè asseritur. Nam verbi instar visibilis esse potuit, qvòd Gentiles, qvi hoc sonitu excitati ob novitatem rei simul accurrebant, ut fieri solet, suæ admoneret stultitiæ & miseriæ. Siqvidem non solùm Judæos sed Ethnicos qvoq; tubarum clangore sacra sua celebrâsse, patet ex Dan. 3,5 &c.

2. In sacris.

In bellis litui aut buccinæ vices sustinuisse nonnunqvam *cornu* illud concedimus, sed non nisi in bellis necessariis & legitimis, qvæ Reges aut Principes Christiani in sui defensionem adversus idololatricæ superstitionis assertores suscipere indies cogebantur: cujusmodi bella gesta sunt ab *Haraldo* Klack contra *Regnerum* Godbrog/à *Frothone* 6. ad recuperandas provincias, qvæ à Regno Danico defecerant, ab Imperatoribus *Henrico Aucupe* & *Othone* ejusq; Vicario Marchione Slesvicensi adversus Danos Gentiles, ab *Haraldo* Blaatand adversus filium *Svenothonem*, & ab hoc post ea & in regni recuperatione adversus Svecos, & ab hujus filio *Canuto* magno atq; aliis successoribus imprimis adversus Slavos infideles.

3. In bellis.

Nec à conviviis præsertim publicis ac epulis regiis *cornu* nostrum, planè exclusum velim: ubi vel poculi vel instrumenti Musici, vel utriusq; etiam vices subire potuit. Cum familiare sit viris militaribus ejusdem instrumenti, sonitu, qvo ad fortitudinem in prælio excitari consveverunt, inter convivandum qvoq; maximè delectari. Verùm suo intuitu convivis non luxum & ἀσωτίαν, sed temperantiam potiùs commendavit: qvemadmodum & Ægyptii solebant conviviis inferre cadaver sive scelerum, ut hoc viso ita ederent ac biberent, nè mortalitatis suæ oblivisc erentur.

4. In conviviis.

Qvid si dicam, insonuisse, qvoq; tubam nostram in solenni Regum ac Principum sepultura? ut nimirum universam procerum & populi coronam provocaret ad Emblemata ultimi præsertim Circuli eò accuratius inspicienda & diligentius pensitanda. Judæi enim (Matth. 9, 23.) nec non Græci (Plutar: in vitâ Demetr.) & Romani (Cic. lib. 1. de leg. Ovid. lib. 6. Fastor.) tibicines qvondam adhibuerunt mortuorum exeqviis: qvin moris fuisse, ut majoris ætatis funera ad tubam efferrentur, minoris verò ad tibias, scribit Servius in 5. Æneidos.

5. In pompis funebribus

In idololatrarum verò usum fabrefactum hoc *cornu* tantum abesse reor, ut potius horum stultitiam ac vesaniam imprimis perstringat, uti liqvet ex superius allatis.

6. Non in cultu Idololatrico.

Caput Alterum.

In qvem finem & usum hoc tempore è latebris protractum sit cornu nostrum, & qvid Deus per illud nobis suggerat atq; inculcet.

QVicunq; ea, qvæ hactenus à nobis prolixè disputata sunt, probè observaverit & ad nostri sæculi conditionem ritè aptaverit, non adeo magno comperiet negotio, qvidnam Deus opt. max. nobis per hoc tam rarum ac singulare antiqvitatis monumentum & qvidem hoc tempore tam mirabiliter inventum suggerere velit. Ne autem incerti circa hanc vagemur materiam, universa ea, de qvibus cornu illud monere nos debeat, qvatuor sectionibus complectemur.

SECT. I.

Enumerantur præcipua Dei beneficia Danis in hunc usq; diem exhibita & imagine hujus cornu adumbrata.

Ut

I.

Regni Danici vetustas.

QVod tot sæculis in luto & cœno delituerit *cornu* nostrum, & illæsum tamen conservatum, non modò pretiositatem antiqvam sed notas etiam sibi incisas retinuerit integras, argumentum & indicium est nobilis ipsius materiæ, *auri* scilicet purissimi ac præstantissimi. Sic enim ex alio qvovis metallo constitisset, ærugine dudùm non tam corruptum qvàm exesum fuisset. Ergo hoc respectu designat regni Danici vetustatem & stabilitatem, qvod anno ante Christum in terris natum millesimo trigesimo nono (uti supputant Chronologi) à *Dano* Humbli filio constitutum, & appellationem sortitum duravit tot sæculorum voluminibus ad hunc usq; diem feliciter continuatum: Dum interim plæraq; ac præcipua orbis terrarum imperia à se invicem consumpta exspirârunt. Regnum *Assyricum* à Babyloniis eversum: *Babylonicum* rursus à Medis & Persis destructum: *Persicum* posteà ab Alexandro Magno prostratum, cujus successores partim mutuis bellis, partim Romanorum armis excisi sunt. *Romanum* porrò imperium à Gothis, Hunnis, Vandalis, Longobardis & aliis horum similibus populis dilaniatum est: ex cujus reliqviis ac ruderibus prodierunt postmodùm plæraq; illa regna, qvæ nunc per terrarum orbem vigent, qvod innuitur Dan. 7, 24. qvorum nonnulla demum amisso titulo & decore regio, exterorum jugo succubuerunt; ut in Oriente: *Constantinopolitanum*, *Ægyptiacum*, &c. In Occidente: *Gothicum*, *Neapolitanum*, *Siculum*, *Lusitanicum*, *Hungaricum*, *Bohemicum*, *Hybernicum*, &c.

Aurum incorruptibile.

Regna mundana à se invicē destruuntur.

Interea in hoc terrarum angulo extremoq; Boreâ Regnum *Daniæ* augustissimum immobili stetit pede, nulli eversioni aut mutationi universali obnoxium: & qvamvis [veluti aureum hoc cornu terræ pulveriq; ad tempus immersum] Dania qvoq; adversis nonnunqvam casibus & cladibus afflicta fuerit, uti ferunt res humanæ, qvæ nunqvam solidâ & concusâ gaudent felicitate, sed volubili fortu-

Regni Danici stabilitas.

fortunæ rotantur cursu; semper tamen rursus emersit, caputq; extulit, & non pristinam modò recuperavit potentiam, sed etiam alias subinde gentes terrasqvè sæpiùs subegit, ut *Angliam*, *Scotiam*, *Hyberniam*, *Speciam*, *Norvegiam*, *Saxoniam*, *Frisiam*, *Slaviam*, *Russiam*, *Livoniam*, *Æstoniam*, &c. Nec non hodierno die opibus, potentiâ, justiciâ floret, & splendorem suum longè lateq; diffundit.

Deus regnorum arbiter.

Hæc autem *Regni Danici* stabilitas nō cœco fortunæ ludibrio nec viribus aut consiliis humanis, sed soli Deo, Regum Regi ac supremo rerum omnium Imperatori ascribenda, *in cujus manu est potestas terræ*, Sir. 10, 4. *A cujus nutu pendent regna hominum* Dan. 4, 22. *Qvi cuiq; terræ & populo suos constituit terminos* Ps. 74, 17. Deut. 32, 8. Actor. 17, 26. Id qvod etiam saniores inter Ethnicos haud ignorasse scripta ipsorum ostendunt. Cicero pro Rabinio inqvit: *Dei ope & auxilio multò magis rempub. Romanam qvam ratione hominum & consilio gubernari.* Et verissima est illa vox Platonis 4. πολιτικῶν; *Ubi non Deus sed mortalis aliqvis præest, ibi malorum nullum est effugium.*

2.

Regum Daniæ continua series & successio.

FIgurâ cornuum non modò Regna, sed Regnorum qvoqve Moderatores, Reges atq; Principes notari, antea monstravimus. Ergo pretiosissimum hoc cornu ostentat nobis etiam Danorum Reges maximos & potentissimos, tot sæculis sibi invicem continuâ serie ac ordine succedentes; qvi si numerum respicias, centenarium excedunt: si facta & res gestas intueris plæriq; prudentiâ, animorum magnitudine, felicitate, aliisq; dotibus ac virtutibus excelluerunt. Cum contrà deprehendas, cætera imperia & regna, præsertim magna illa & universalia, ut: *Assyrium*, *Chaldaicum*, *Persicum* & *Romanum*, plures pravos qvàm laudatos habuisse Rectores, plures Tyrannos qvàm patriæ Patres sustinuisse, pluribus monstris qvàm hominibus paruisse.

Dania Regibus felix.

Supra cætera mundi signa.

Regnum Asiæ à Medis ad Persas transtulit *Cyrus*, cujus filio *Cambyse* extincto, arripuerunt illud *Magi*, qvod his sublatis *Darius* fraude & astutiâ occupavit.

Asiaticum.

Mortuo *Alexandro* imperium Macedonicum inter duces divisum, nec qvicqvam *Alexandri* liberis ac regiæ stirpi relictum, intra pauculos tandem annos penitùs exspiravit.

Macedonicum.

Imperium Romanum ad se traxit C. *Julius Cæsar*, sed nec ipse, nec qvisqvam Cæsarianæ stirpis; imperatorum filium habuit tantæ potentiæ hæredem & successorem, donec progenies Cæsarum in *Cn. Domitio Nerone* prorsum defecit: Hinc diu nulla propè fuit legitima Imperatorum Romanorum successio, sed ferè per latrocinia & parricidia imperium invaserunt homines obscuri, qvos cœca ambitio & impietatis spititus exagitabant.

Romanum.

Gallicum itidem regnum vehemnntissimis subinde motibus & mutationibus agitatum fuit, præsertim cum *Meroveanæ* ademptum familiæ à *Pepino* ejusq; filio *Carolo Magno* occuparetur, & horum rursus posteris ereptum, cederet *Hugoni Capet* cognominato.

Gallicum.

Ejusmodi vicissitudines alia qvoq; Europea concusserunt regna, qvas nunc recensere supersedeo. Unum autem imprimis observari meretur, qvod videlicet Regnum Israeliticum divinitus *Sauli* qvidem collatum, Verùm ob impietatem ac contumaciam rursus ipsi ejusq; posteritati ablatū sit, 1. Sam. 15, 23. 28.

Israeliticū.

Cui postmodùm *David*, jubente ipso Domino, præfectus, illud tamen integrum atq; indivisum non ulterius qvàm ad nepotem *Roboamum* transmittere potuit, 2. Regum 12, 17.

Deus itaq; summus Regnorum arbiter hoc beneficio planè singulâri nostram beavit patriam, qvod habuerit perpetuam Regum è regiâ stirpe successionem: & qvamvis nonnulla interdum inciderint de jure regnandi dissidia ac bella intestina, semper tamen vera & legitima regiæ stirpis progenies principatum obtinuit, & continuâ qvadam ac nusqvam interruptâ serie propagata est ad *Margaritam* Waldemari Qvarti Danorum Regis filiam, Haqvini vero Regis Norvegici conjugem, qvæ Daniæ Norvegiam hæreditate, Sveciam bello adjecit. Huic post obitum *Olai* filii humanis ereptæ successit *Ericus Pomeranus* ejus nominis Octavus Margaritæ ex filia Sororis abnepos & ab eâ in filium ac regni consortium adoptatus: Qvo tandem abdicato *Christophorus Bavarus* ex Erici sorore germanâ & nepte Margaritæ Reginæ prognatus ad sceptrum & fastigium hujus regni evectus est; Hoc autem sine liberis defuncto, & cum eô simul extinctâ vetustissimâ aboriginum Daniæ Regum prosapiâ, *Cornu* verè *aureum* regii sangvinis qvasi terrâ & pulvere obrutum jacuit.

Vetustissima Regum Daniæ prosapia.

Verùm singulari providentiæ divinæ decreto evenit, ut per eundum tractum, ubi inventum est *cornu* nostrum, ascitus atq; adductus fuerit *Christianus primus* ad gubernacula regni Danici capessenda, absq; omni intestino motu, aut dissidio, liberis procerum suffragiis, omniumq; ordinum unanimi consensu. Hic sanè actus Dei ter opt. max. inæstimabile continens beneficium, in *cornu* nostro qvasi revivíscere atq; obversari omnium oculis videtur.

Rex Christianus primus.

1. Sicuti *aureum* hoc *cornu* è sqvalore & qvisqviliis terræ, in qvibus tot sæcula occultatum delituerat, tandem erutum, à sordibus purgatum, nitideq; expolitum nunc ab illustrissimo Daniæ Principe, ut κειμήλιον pretiosissimum, diligitur & charum habetur. Ita tum temporis antiqvum stemma *Oldenburgicum*, qvod antea honesto qvidem sed obscuriori hæserat loco, ascendit ad summum honorem ac trium regnorum potentissimorum imperium, ut verè gloriari posset: *Cornu meum exaltatum est in gloria* Ps. 112, 9.

1.

Domus Oldenburgica.

2. Deinde qvemadmodum hoc *cornu* initio ex ære confectum putabatur, postea verò ab artifice examinatum, apparuit ex purissimo & præstantissimo constare obryzo, cui hodiè qvodvis aliud aurum comparatum penè æs videtur, teste Clarissimo Dn. D. Wormio. Consimiliter domus *Oldenburgica*, olim tantum *comitialis*, qvamprimum autem *regia* facta statim *aurea*, hoc est, pretiosissima apparuit, non solùm qvia plurimis virtutibus & præsertim moderatissimo imperio, *auri* instar, splendere, ac omnibus gratissima esse cœpit: sed imprimis qvod præter plurimos alios Principes Clarissimos, sex ordine nobis suppeditavit Reges generosissimos [Christiernum secundum ut cornu confractum consultò præterimus] qvorum similes vel indolis bonitate, vel animi invicto robore, vel innatâ clementiâ, vel pietatis exercitio, vel æqvabili justitiæ administratione, vel aliis dotibus verè regiis vix ulla unqvam vidit ætas in uno qvidem solo solioq; sibi continuè succedentes.

2.

Inter omnes verò, veluti sol inter reliqva sydera, coruscat augustissimus Monarcha *Christianus Qvartus* hodierno die hæc regna feliciter gubernans, in qvem unum, qvasi in centrum, virtutum omnium radii conjurati confluxerunt, ut qvæ mirari singula solemus in sublimibus naturis & ingeniis excellentibus, ea ipse junctim possideat universa. Plus ille unus præstitit in ornandâ patriâ nostrâ, in constituendis Ecclesiis, Scholis legibus, bonis moribus, in procuranda

Rex Christianus qvartus.

da & stabilienda subditorum salute, commodo, incolumitate, qvàm omnes simul antecessores: hinc dudum nominis ac virtutum suarum splendore Daniam perfudit, Europam illustravit, orbem implevit. Sub hujus itaq; laudatissimi Regis exoptatissimo imperio & latebris terræ prodiens *aureum* hoc *cornu* nobis qvasi acclamat, ut ipsum suspiciamus veluti *cornu* verè *aureum divinitùs erectum* Ps. 148, 14. *gloriosè exaltatum*, Psal. 112, 9. qvod ut in fronte Patriæ nostræ dulcissimæ emineat qvàm diutissimè in subditorum protectionem, hostium confusionem, faxit ille, cujus in manibus sunt omnia terræ imperia.

Porrò qvod Rex Serenissimus cornu illud adse delatum haud retinuerit, sed statim illustrissimo Principi *Christiano* promptissimâ liberalitate donaverit inter Celsitud. ipsius κειμήλια asservandum: hinc auguramur, imo votis optamus intimis, ut augustissimo parenti lectissimus filius aliqvando (qvod diù adhùc differat Deus) non tantùm in imperio & potestate regnandi, sed simul in splendidissimis virtutibus feliciter succedat: qvò & ipse cornu gloriæ ac splendoris sui undiq; ostendat, & auream Ecclesiæ ac reipub. incolumitatem unicè procuret, adeoq; spem subditorum de Celsitudinis ipsius *piâ constantia & constanti pietate* plusqvam auream impleat, superetqvè. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: ut judicet populum tuum in justitiâ, & pauperes tuos in judicio*, &c; Psal. 72, 1. 2.

Princeps Christianus V.

Hæc omnia ita intueamur in cornu nostro, ut inæstimabile Dei benificium hoc nomine nobis exhibitum condignè æstimemus, reputantes:

Deum esse, qvi *Reges constituit & tollit*, Dan. 2, 21. *qvi utiles & bonos suscitat Principes*, Sir. 10, 4. qvi *eosdem potentiâ armat*, Sap. 6, 3. Jer. 27, 6. Dan. 2, 37. cap. 5, 18. Esdr. 1, 2. *prudentia instruit*, Proverb. 8, 14. 15. 16. cap. 20, 12. 1. Reg. 3, 9, 12. *autoritate munit*, Jos. 4, 14. 1. Sam. 10, 26. 1. Reg. 3. 28. 1. Paral. 14, 17. 2. Par. 30, 12. Job. 29, 7. 8. Ps. 18, 48. Ps. 21, 6. Dan. 5, 18. 19. Hag. 2, 28. &c.

1. Probus Magistratus Dei donum

Regno nihil esse salutarius qvàm pium, prudentem & justum Regem, qvi suâ autoritate & potentiâ rectè utitur ad publicam salutem, Sap. 9, 26. Judic. 2, 7. Qvemadmodum è contrario nullum eidem majus aut periculosius infligi potest vulnus, qvàm si legitimo Magistratu orbatum, alienę potestati subjectum qvasi in servitutem tradatur, Lev. 26, 17. Deut. 28, 36. 46. Et sicuti illud inter præcipua Dei beneficia commemoratur Mich. 6, 4. Sir. 10, 4. 5. Ita hoc pro dirâ & gravi pœnâ divinitùs, inflictâ recensetur Hos. 3, 4. Esa. 3, 2. 3. Job, 34, 30. Prov. 28, 2.

2. Singulare beneficium

Testantur namq; historiæ. piorum Regum & Principum obitus maximorum malorum præludia fuisse: qvod apparuit in Josiâ, qvem è medio sustulit Deus, ne horrendum gentis & urbis excidium ac fœdam religionis dissipationem videret, 2. Reg. 22, 20. Confer Esa. 26, 20. cap. 57, 12. Zach. 11, 2. Obad. v. 8. Unde Eliacus regius thesaurarius, qvi regni totius commoda fideliter procuravit, comparatur cum paxillo totum gubernationis onus sustinente, cujus succisio ingentem Reip. attraxit ruinam, Esa. 22, v. 23, 24, 25.

Viderunt hoc olim Davidis ministri & consiliarii, qvi illum *Lucernam Israëlis* dixerunt, nec passi sunt eum præliis interesse amplius, ne ipsius interitus publici alicujus mali causa esset, 2. Sam. 21, 17.

Huc etiam spectat votum & precatio Mosis jam moribundi: *Constituat Dominus, Deus spirituum omnis carnis, virum, qvi præsit huic multitudini, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne sit populus Dei, sicut oves absq; Pastore*, Num. 27, 16. 17. Qvo indicat, tam optatum & necessarium regno esse bonum Principem, qvàm ovibus pastorem, qvo si destituantur subditi, infinitis penè malis sunt expositi. Qvod experti qvondam fuerunt Israëlitæ in servitute

vitute Ægyptiacâ, Judæi in captivitate Babylonicâ : experiuntur hodiè non tantùm qvi sub jugo gemunt turcico , sed etiam Germaniæ non pauci incolæ, qvi legitimo magistratu vel pulso, vel ita attrito, ut nihil inde opis expectari possit, exterorum violentâ oppressi tyrannide, mille qvotidiè mala ipsa morte acerbiora patiuntur.

Danis divinitus exhibitum.

Nobis hæc ipsa consideratio ingentem addat stimulum, qvo excitati immensum illud Dei immortalis beneficium, regiam inter nos domum & majestatem magno nostro bono conservantis. eâ, qvâ par est, animi gratitudine, suspiciamus atq; exosculemur, & ut deinceps etiam conservet, ac magis magisqvè stabiliat, qvotidianis precibus exoptemus, Psal. 122. 6. Jer. 29, 7. Id qvod ratio seculi hujus periculosissimi imprimis exigit, qvod tot vidit illustrissimas Regum, Electorum, Ducum, Comitum, &c. domos pessundatas, familias exstirpatas, tot respublicas pluribus in locis miserabiliter eversas, ita ut status politicus jam jam pedibus penè luteis & fragilibus insistat, à lapide mali cujusdam improvisi facilè comminuendus, veluti splendidissima illa statua Dan. 2, 33, præsertim cum tanto furore & conatu undiq; se ingerat Diabolus in aulas Principum, consilia justa & salutaria totis viribus impediendo, iniqva verò & noxia promovendo, Dan. 10, 13, Qvod nobis amplissimum hoc regnum inhabitantibus, singulariter dictum esto, qvos adhunc usq; diem summa Dei bonitas sub tutelâ planè paternâ tam pii & nunqvam satis laudati regis in altissimâ pace clementer sustentavit, Esa. 32, 18. Ps. 91, 10. cunctis interim regionibus vicinis à funestissimo hoc bello miserrimè afflictis atq; laceratis Jer. 4, 20. Joel. 2, 3. Qvapropter nostrarum omninò erit partium pro tam exoptati Magistratus & felici gubernatione & vitâ diuturnâ Deo ardentissimis suspiriis qvotidie supplicare Bar. 1, 11. 12. 1. Timoth. 2, 1. Ps. 20, 1. & seq. Ps. 61, 7. 8. &c. ut sub ejusdem patrocinio *tranqvillam, piam & honestam vitam degentes*, 1. Tim. 2, 2. expectemus læti *πολίτευμα nostrum in cœlis firmum & inconcussum* Phil. 3, 20. Johan. 10, 28. 1. Petr. 1, 4. Hebr. 13, 14.

3.

Danorum antiqva virtus & in exteris debellandis felicitas.

Milites armatos & in acie ad prælium instructos titulo cornuum itidem ionari, antea monuimus: qvale qvid hoc etiam *cornu* repræsentat, n eo præsertim loco inventum, ubi limites utriusq; Regni Danici & Romani coire & attingere se invicem incipiunt, qvod hinc nobis in memoriam revocat tot qvondam bella in hisce oris gesta, tot prælia commissa, tot exercitus deletos.

Danorum expeditiones in finitimos.

Taceo nunc expeditiones qvamplurimas, qvæ diversis temporibus immediatè ex Daniâ ejusq; imprimis provinciâ Cimbricâ factæ sunt in finitimos Germaniæ populos, ut *Saxones*, *Frisios*, *Slavos*, *Wagros*, *Holsatos*, *Dithmarsos*, &c. sub Regibus *Helgone*, *Wermundo*, *Frothone 4*, *Gotrico*, *Regnero* Lodbroeg, *Canuto Magno*, *Svenone 3*, *Waldemaro 1*, *Canuto 5*, *Waldemaro 2*, *Abele*, *Erico 6*, *Erico 7*, *Waldemaro 4*, *Johanne*, *Friderico secundo* & aliis.

in longinqvos.

Tantum memori mente recordemur, qvot olim qvamq; bellicosi populi, *Cimbri*, inqvam, *Gothi*, *Longobardi*, *Angli*, *Normanni*, *Vandali*, &c. è Regnis hisce septentrionalibus egressi, & plærumq; eundem illum tractum, qvi *Cornu aureum* tam diu occultatum tenuit, transgressi, per totam ferè Europam nominis & armorum suorum terrorem circumtulerunt tanqvam *cornua ferrea & chalybea*: Mich. 4, 13. Et bello Romanum non modò lacessere sed tandem etiam evertere imperium adorti, universa penè regna Europæa graviter qvassarunt; qvin & *Lombardiam* Italiæ, *Normanniam* Galliæ nobilissimas provincias, nec non *Angliam* Insulæ Britannicæ potissimam partem nomina & appellationes accipere à se compulerunt.

Ubi statuendum est, impressiones hostium in aliena regna & ditiones nec fortuitò fieri, nec solis humanis consiliis dirigi, sed jussu & decreto Dei expediri, Thr. 3, 37. qvi qvemadmodũ hoc *cornu* è terræ latebris eruit atq; in conspectum hominum produxit, ita in populum, qvem castigatum vult, hostes etiam longinqvos facili negotio *vocat*, Esa. 13, 3. Thren. 1, 15. Zophon. 1, 7. *excitat*, Esa. 5, 26. *armat*, Esa. 13, 5. *mittit*, Esa. 10, 6. 2. Reg. 24, 2. *duxit*, Esa. 45, 1. Jer. 5, 15. Joel. 2, 11. Deut. 28, 49. Et *animum*, *vires*, *robur huic subtrahit*, Levit. 26, 36. Deuter. 28, 25. Esa. 13, 7. cap. 30, 17. Jerem. 46, 5, cap. 51, 30. Joel. 2, 6. Amos 2, 14. 16. Obad. v. 9. Nah. 2, 8. cap. 3. 13. Psal. 76, 6. 7. *illis addit* Amos 5, 9. Psal. 18, 33. 35. 40. 43. Psal. 68, 36 Psal. 144, 1. 2. &c. Luculenter hoc apparuit in Israëlitis populo inermi ac imbelli, qvi ex Ægypto profugi, sed virtute divinitùs armati, tot validissima cornua contriverunt, *Amalekitas* prælio vicerunt Exod. 17, 13. *Madianitarum* regiones vastârunt Num. 31, 8. & seq. *Cananæos* ferocissimos debellârunt omni ipsorum terrâ occupatâ, Jos. 11, & seq. Amos 2, 9. 2. Paral. 20, 7.

Hostes à Deo immittuntur.

Victoria Deo ascribenda.

Qvapropter siqvando res benè prospereq; adversus hostes successerit, victoriam soli Deo acceptam feramus, cum Davide Psalm. 76, 8. Psal. 89, 14. Cum Josaphato 2. Paral. 20, 6. Nihil autem *Cornu nostro*, hoc est, propriæ fortitudini vel prudentiæ tribuamus, nec hujus fiduciâ insolescamus, ne ex horum simus numero, *qvi attollunt in altum cornu suum* Psal. 75, 6. dicentes: *Nunqvid non in fortitudine nostrâ assumpsimus nobis cornua?* Amos 6, 13. *Fortitudo nostra & robur manus nostræ hæc nobis omnia præstiterunt*, Deut. 8, 17. Qvo nomine *Sennacherib* perstringitur, qvòd propriâ virtute & industriâ gentes abs se domitas fuisse, gloriaretur, qvas Deus ipsi subjecerat Esa. 10, 13. Nec non *Nebucadnezar*, qvi devictis omnibus vicinis populis, eorumq; ditionibus potestati suæ subjectis, *immolavit sagenæ suæ & sacrificavit reti suo*, hoc est, suæ suorumq; militum virtuti bellicæ hunc ascripsit successum, Hab. 1, 16.

Victoriâ non abutendum.

Est hoc ingens scelus, qvod, ut Deum debito spoliat honore, eundem verò creaturis attribuit, ita sæpiùs in causâ est, cur hostes partâ victoriâ insolenter abutantur Esa. 10, 7. cap. 47, 6. Qvo tandem gratiam Dei & consvetam prosperitatem amittunt, è contrario iram Dei cum certâ pernicie sibi accersunt, Psal. 109, 15. 16. Esa. 47, 9. Ezech. 32, 2. & seq.

Ratio declinandi bellum.

Moveat hoc Principes & rerump. Præsides, ut sibi suisq; ditionibus invasionem hostilem imminere conspicati, initium consulendi & resistendi faciant à litaniis precibusq; publicis & privatis, adjunctâ simul verâ resipiscentiâ ac serio dolore ob flagitia, qvæ hoc malum attrahere solent, Joel. 1, 14. 15. cap. 2, 15. 16. 17. Jon. 2, 5. & seq. Nisi enim Deus, qvi hominum peccatis vehementer irritatur, hisce mediis placatus, levatum in nos cornu supprimat, hoc est, hostium decreta dirimat, ferociam frangat, bellandi ardorem extingvat, Diaboli etiam conatus gentem in gentem exacerbare satagentis reprimat, Ps. 46, 10. Esa. 8, 9. 10. Nullum consilium humanum, nulla ars aut prudentia vel unico momento bellum impendens detinere, pacem retinere valet.

4.

Singularis Dei tutela adversus tria Germanorum cornua, qvæ imperium Danicum evertere, & imprimis Cimbricam Chersonesum conterere neqvicqvam tentârunt.

DEi tutelam ac præsidium, qvo suos propugnat & defendit contra Diabolum ejusq; assecias, *cornu* nomine insigniri suprà ostensum est; qvod itidem in *aureo* hoc *cornu* suspicio atq; contemplor. Tria namq; validissima cornua diversis sæculis è Romano egressa imperio & præsertim è vicinâ Germaniâ hanc ipsam ptovinciam Cimbricam (in qvâ *cornu* nostrũ tam diu sepultum jacuit) totumq; regnum contundere & evertere tentârunt; sed cornu firmissimæ tutelæ ac defensionis divinæ eadem repulsa & repressa abscedere coëgit, ut omninò nos & majores nostri experti simus illud Davidicum: *Jehova protector meus & cornu salutis meæ*, Ps. 18, 3.

1. Carolus Magnus.

Primum Germanorum cornu fuit *Carolus Magnus*, imperator Romanus ac totius ferè Occidentis dominator, qvi, postqvàm compertum est, Saxones, Frisios, aliasq; gentes finitimas à *Gotrico* Danorum Rege fortissimo subactas, frustrà se opponente Imperatoris filio, statim cum numerosissimo advolat exercitu ex universis imperii partibus, ex Galliâ, Germaniâ & Italiâ collecto, & ad Alaræ Albisq; fluminum confluentes positis castris, qvamprimùm cum *Gotrico*, sibi cum robore Danicæ juventutis occurrente confligendum, atq; inde promotis armis in ipsam Daniam omnem belli impetum transferendum decernit. Verùm cum jam ad tantam molem expeditionemq; adfatim cuncta essent comparata, Legiones, eqvitatus, auxilia, commeatus, arma, tormenta: ecce exorta repentè in castris Danorum seditione, ipsoq; Rege fraude proprii satellitis occiso, totus dissolvitur exercitus, Daniq; cum classe universâ dilapsi, relictis Frisiæ portubus, domum rediére. Qvanta igitur tempestas tunc huic Regno & vicinæ præsertim Cimbriæ incubuit, utpote jam omni ope & auxilio humano destitutæ! Sed Deus Regni Danici fidelissimus propugnator tum præcipuè temporis cornu optatissimæ suæ tutelæ pro incolumitate ejusdem exeruit, atq; immissa in hostem irâ cœli & peste gravissimâ, qvæ in homines pariter & jumenta grassabatur, *Carolum* desistere à propositò & reducere exercitum coëgit, qvi hinc etiam ob casum *Gotrici* effuso exultavit gaudio, eo nihil unqvam fortunæ suæ jucundius obvenisse confessus.

2. Otho Primus.

Alterum cornu Germanicum Daniam nostram infestare aggressum fuit *Otho* ejus nominis primus, Imperator Germanorum, qvi, Marchione, qvem *Henricus Auceps* apud Sleswicenses adversus Danorum incursus tuendo limiti constituerat, à Danis trucidato, & Saxonum colonia ibidem loci insuper deletâ, tantæ impatiens ignominiæ, exercitum in eos confestim duxit, & facili negotio in Jutiam irrupit, utpote regio ductu & præsidio vacuam, Rege *Haraldo* Sexto procul rebus Sveticis distento; sed huic nullâ vi humanâ resistente, opportunè Deus opposuit cornu tutissimæ defensionis suæ in favorem gentis nostræ rursus levatum, dum videlicet Lymnicus sinus vehementer exundans, & Vendalam aqvis claudens, progredi ulterius vetuit Imperatorem: qvi cum exercitu in littore subsistens, lanceam in undas indignabundus projecisse memoratur, suumqve freto nomen indidisse, qvod hinc Ottesund hodie etiam vocitatur. Compulsus etiam rumore & famâ *Haraldi* Regis valido cum exercitu

ac omnibus regni viribus ad opem Cimbris suis ferendam præcipiti celeritate adventantis, statim reflexo in Germaniam itinere, reditum fugæ simillimum habuit: qvin & Dani abscedentium hostium tergis insistentes, *Eponem* extremi agminis ducem cum sociis trucidârunt.

3. Ferdinandus secundus.

Tertium cornu horrendum sanè & extremam minitans huic regno perniciem vidimus ante annos circiter 16. è Germaniâ in nos irruere, cum post acre illud prælium Lutterense infeliciter à nostris commissum, Cæsaris *Ferdinandi* secundi exercitus ex innumerâ propemodum variarum gentium conflatus colluvie, subitò & repente Cimbriam Holsatiamq; penè omnem fluminis instar rapacissimi inundaret, & præter omnium opinionem omnia longè lateq; occuparet, ut incolarum plærisq; experti illud, 1. Thess. 5, 3. Esa. 28, 19. Jer. 4, 20. ingeminarent qverelam Jeremiæ Thren. 4, 12. Nec occupavit solum atq; in potestatem redegit hostis infensissimus nobilissimam Regni provinciam, sed integrum etiam biennium tranqvillâ possessione retinuit, ita ut de nobis actum videretur, nec aliud jam superesse, qvàm ut victori manus, ferro cervices, prædoni bona fortunasq; ultrò daremus. Sed Deus summus regni Danici patronus & maximus assertor, etiam hoc tempore testari voluit, se adhuc excubare pro salute nostrâ, neq; dum pristinam illam curam, qvam tot sæculis pro patriâ nostrâ gessit, deposuisse. Etenim piorum [procul dubio] lachrymis & suspiriis exoratus, brachio tandem & cornu potentiæ suæ è cœlis exerto ita fregit & contudit hostium *cornu*, hoc est, vires & animos, ut dum possidebant Cimbriam & Holsatiam, à lædendis incolis abstinerent, nusqvàm ferro aut flammis grassarentur; & qvamvis religioni nostræ infensissimi, hoc tamen nomine nè tantillum in qvenqvàm tentarent. Qvod miraculum non minoris æstimandum esse reor, qvàm qvod olim in Ægypto sangvis agni paschalis Israëlitas intactos ab exitiali clade Angeli percussoris præstaret, Exod. 12. 13. qvam qvod eosdem filius Dei in columna nubis apparens tutos ab impetu exercitus Ægyptiaci occultaret, Exod. 14, 2. qvam qvod ipse Sodomitas cœcitate obrutos ab invadendis Lothi ædibus repelleret, Gen. 18, 11.

Pax mirabiliter restituta.

Nec contentus Jehova Cimbris & Holsatis vitam & fortunas illæsas conservâsse, religionem illibatam præstitisse, pace insuper illos eâq; optatissimâ & glorioſissimâ præter omnium spem & expectationem admirabiliter beavit: dum hostis velut panico qvodam terrore compulsus, licet rerum omnium ubertate affluens, copiisq; militaribus abundans, pacem ultrò honorificentissimis obtulit conditionibus, omniaq; imperii Danici loca, qvæ forti manu occupata biennium tenuisset, sine ulla compensatione reddidit integra & illæsa. Elucet in hac Cimbriæ liberatione non minus stupendum bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ documentum, qvàm cum Saulem Regem nuncio Philistæorum irruptionis in oras suas compulsum retraheret à Davide capiendo & trucidando, 1. Sam. 23, 27. qvam cum Syros sonitu curruum, eqvorum atq; ingentis qvasi exercitus turbatos ab obsidione Samariæ arceret, 2. Reg. 7, 6. 7. qvam cum exercitum Sennacheribi ab Angelo fusum mœnibus Hierosolymarum averteret, 2. Reg. 19, 35. 36.

Amicâ transactione.

Sic *cornu* illud *aureum* ministerio rusticæ & pauperculæ virginis è luto & qvisqviliis extractum Cimbricam repræsentat Chersonesum, qvæ consimiliter è tenebris & squalore mirabiliter expedita, pristinum recepit splendorem ac felicitatem operâ *puellæ imbellis*, h. e. sine armis, sine præliis, sine cæde, sine sangvine, amicâ, dulci, jucundâ transactione. Dum hæc altiùs mecum reputo, & simul fixis oculis intueor miſellam illam & rusticanam puellam, qvæ *aureum*

cornu baculi etiam destituta adminiculo, nudis manibus digitisq; è terrâ erutum prima nobis ostentavit, incidit mihi, qvod legisse me aliqvando in historiis Gallicis memini de virgine itidem pauperculâ *Jane D' Arc* nominatâ, rusticis natâ parentibus, ruri educatâ & gregi tantum pascendo assvetâ, qvâ Deus tamen ad res magnas & præclaras gerendas usus fuit juxta illud Sir.3,21. Cum enim regnum Gallicum tum temporis sub *Carolo* ejus nominis septimo ad extremam penè perniciem esset redactum, pluribus provinciis amissis, præcipuis urbibus & munitionibus vel captis vel obsessis, Principibus & proceribus indies à Rege deficientibus, hostibus interim potentissimis & infensissimis, Anglo, Burgundo & Sabaudo, ferociter instantibus, ita ut jam omnis Regis regniq; salus propemodum desperata videretur: Ecce virgo hæc pagana divinitus suscitata, viam prima & monstravit & ingressa est, qva hostium vires attritæ, regni libertas asserta, & pax tandem parta fuit ac stabilita. Annon simile qvid apud nos etiam contigisse existimabimus, dum Deus funestissimum illud bellum à cervicibus nostris depulsum pace insperatâ sedavit, usus imprimis operâ illustris Dn. *Hannibalis Baronis Schaumburgensis*, viri qvidē fortissimi & in exercitu Cæsariano excubiarum præfecti primarii, sed tunc à nostris capti & ad statum puellæ inermis qvasi redacti, qvi pacis illius fundamentum fideliter jecit, negotium diligenter promovit, & postmodùm Lubecæ ad eam pangendam atq; conficiendam non parum attulit momenti.

Conservata

Porrò non solùm Jehova pacem nobis mirabiliter restituit, sed etiam restitutam in hunc usq; diem conservavit illibatam, ut omnis periculi immunes veamur, amplexu hæreamus: dum interim universa ferè Europa cruento huic involuta bello, innumeris penè turbis, cædibus, lanienis, incendiis, direptionibus, & sexcentis aliis malis qvotidiè conqvassatur, ac plæraq; ejus regna vel cum externis hostibus vel internis dissidiis miserrimè conflictantur.

Pax donum Dei.

Hoc ita expendendum, ut nibil nobis, nostræ prudentiæ, sanctitati, dignitati, sed omnia stupendæ Dei gratiæ & misericordiæ feramus accepta: Ille summus belli pacisq; arbiter *formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum*, Esa.45,7. *Qvi cessare facit prælia usq; ad extremum terræ, qvi conterit arcum, confringit lanceam & currus exurit igni*, Ps.46,10. adde Hos.2,18.

Gratè celebrandum.

Nostrum igitur erit tam divinum donum bonumq; gratâ mente celebrare, ejusq; jugi memoriâ & dignâ æstimatione indies excitari, ut huic tam largo pacis datori & autori nos totos consecremus, nostra obseqvia offeramus, studia approbemus, vitam impendamus; qvo pacem & *internam* conscientiæ retineamus, Phil.4,7. & *externam* cum proximo pro virili colamus, Rom.12,18. Et tandem omnibus fastidiosissimæ hujus vitæ ærumnis liberati, vitæ alterius & melioris perfectissimæ ac profundissimâ pace, copiosissimo gaudio, lætitiaq; nunqvàm interrumpendâ in conspectu divinæ Majestatis perpetuo fruamur, Esa. 32,18. cap.35,10. cap.66,11.12. Ps.16.v.ult. Ps.36,9. Apoc.7,16. &c.

Deus suos defendit.

Qvod hactenus de publicâ hujus Regni admiranda defensione & sustentatione disseruimus, unusqvisq; sibi privatim qvoq; aptabit, & si ingruerit aliqvando periculum, petet & expectabit firmâ fiduciâ certissimam opem & liberationem ab invicto *cornu* divinæ potentiæ ac tutelæ, qvod illum plenissimè tueri potest adversus qvosvis non modò hominum sed etiam Diabolorum & portarum infernalium insultus, id qvod ipse Spiritus Dei sæpius inculcat, Ps.18,3 Ps.31,4.21. Ps.91,1.2. Ps.144,2. Esa.6,4. cap.25,4. Jer.16,19. &c. Qvam tutum præstitit hoc cornu *Lothum* à Sodomitarum violentiâ, Gen.19,11. *Jacobum* Patriarcham

cham ab ira fratris Esavi, Gen.33,1. & seq. ab incursu avunculi Labani, cap.31,14. *Davidem* à persecutione Saulis, 1.Sam.23,27. à calumniis Doëg Idumæi 1.Sam.22, 9.10. ab astu Achitophelis, 2. Sam.17,14. à crudelitate Absolonis 2. Sam.18,14. *Eliam* ab impetu militum, 2.Reg.1,10.12. *Eliseum* ab exercitu Syriorum, 2. Regum 6,18. &c.

Eorum hostes præcipitat.

Imo qvemadmodum accidere interdùm solet, ut qvi tauro efferato temerè occurrat, ipsius cornibus vehementissimè contusus prosternatur: idem sibi polliceantur, qvicunq; adoriri, premere & affligere amant hominem pium & innocentem sub umbrâ & latibulo altissimi habitantem, in illum ceu *cornu ferreum & aheneum* omnes inimici turpissimè impingent, propria capita comminuent, & cum universis suis viribus, minis, consiliis, machinationibus subitò corruent atq; conculcabuntur. Atq; hoc est, qvod David aliqvoties manifestissimè sensit, ex tantâ hostium rabie & periculorum magnitudine feliciter eluctatus, Ps.27,2. Qvo Dominus animum Jeremiæ valdè perturbatum erigit, onus gravissimum Prophetici muneris ipsi imponens, Jer.1,19. Qvod Deus tot illustribus exemplis Ecclesiæ suæ ejusq; membris testatum fecit: ut nimirùm Rex *Pharao* impegerit in Israëlitas: *Core, Datan & Abyron* in Mosen & Aaronem: *Saul, Absolon & Achitophel* in Davidem: *duo* illi *Senes* sycophantæ in Susannam: *proceres Babylonici* in Danielem: *Haman* in Mardochæum, &c. Anne omnes illi potenter repulsi, divinâ tandem ultione *ceciderunt in foveam, qvam aliis paraverant*, Ps.7,16. *in laqveum qvem aliis posuerant?* Ps.35,7.8.

Qvoties, qvæso, hoc ipsum qvotidianis confirmatur exemplis, in qvibus *opera Dei admirabilia intueremur oculis nostris* [Ps.91,8.] si modo eosdem ritè aperire vellemus; debitâ intentione *opus Domini respicientes, & opera manuum ejus considerantes*, Esa.5,12.

§.

Terræ Danicæ fœcunditas.

Cimbrica Chersonesus.

TErram Judaicam *cornu* etiam appellari antea indicavimus, unde & terram atq; fundum imperii Danici hoc *cornu* haud ineptè delineari rectè concludimus. Anne etiam ipsa *Chersonesus Cimbrica*, qvæ cornu nostrum tot sæculis occultavit, & figurâ oblongâ ac pyramidali interutrumq; mare progreditur, cornu speciem exhibeat, chorographis accuratiùs inqvirendum committo.

Fundi Danici fertilitas.

Unum est, qvo patria nostra non modò cum Judæâ sed qvovis etiam orbis territorio certare videtur, *soli* videlicet *ubertas & fundi fœcunditas*. Qvamvis enim vini aut olei non sit ferax, rebus tamen aliis omnibus ad humanum usum necessa. iis ita abundat, ut iste defectus millies rependatur. Tanta hic qvotannis copia frumenti, butyri, mellis, pecorum, pecudum, piscium, &c. provenit, ut non modo incolis abundè sufficere, sed exteris etiam nationibus liberaliter prospicere possit: adeò hic *largam Dei* sentimus *manum*, Ps.104,28. *subministrantis omnia nobis affatim ad fruendum*, 1.Tim.6,17.

Dania Europæ cella penaria.

Qvod igitur de *cornu copiæ* fabulantur Poetæ omnis generis frugibus jugiter exuberante, id Daniæ nostræ, missâ procul omni fabulâ, verissimè congruit. Ex hac qvippe ceu *cornu* copiosissimo & promptuario locupletissimo indies depromitur, qvod plurimos Europæ populos alit atq; sustentat, ut gloriari meritò qveamus ex Ps.144,13. *Promptuaria nostra sunt plena, eructantia ex hoc in illud*, hoc est, ita abundantia omnis generis fructibus, ut unam speciem post aliam copiosè

piosè exhibeant. Et in terram noſtram derivare, qvod olim cecinit Poëta de ubertate agri Italici.

Horat. 1. Epiſt. 12, 6.

Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit copia cornu.

Fœcunditas terræ à Deo.

Hanc terræ Danicæ fertilitatem rerumq; omnium abundantiam non cauſis ſecundis tribuamus, nec noſtro labori aut induſtriæ tranſcribamus, ſed ſoli Deo bonorum omnium largitori [Jac. 1, 17.] acceptam feramus. Ille enim eſt, qvi ipſam, qvam incolimus, terram dedit Pſ. 115, 16. ejuſdem germinandi vires adauget, Pſ. 65, 10. Pſ. 104, 14. eandem pluviâ tempeſtivâ irrigat & fœcundat, Pſ. 65, 11. Pſ. 147, 8. Actor. 14, 17. ab eâdem ventorum, tempeſtatum, grandinum incommoda avertit, Jer. 5, 24.

6.

Sacroſancti Evangelii revelatio.

MAgna ſunt, fateor, qvæ hactenus recenſuimus, ſed longè majora, qvæ ſeqvuntur. Qvando enim intueor *cornu* noſtrum, qvod tam diu ſub terrâ, cœno lutoq; obſitum jacuit, nunc verò non ſolum priſtino ſplendori reſtitutum, ſed etiam Sereniſſimo Daniæ Principi in amore atq; in deliciis eſt, & advenis tanqvam venerandum antiqvitatis monumentum, conſpiciendum, contrectandum, ebibendum exhibetur: videre mihi videor *cornu* illud *ſalutis* Luc. 1, 69. [Jeſum Chriſtum cum ſuo Evangelio & ſalutari noticiâ] qvôd primò gentilis idololatriæ, deinde Papiſticæ ſuperſtitionis ſordibus immerſum, nunc verò rurſus purgatum & affabrè expolitum nitet ſplendidiſſimè, atq; indies *apparet iis, qvi in tenebris & umbrâ mortis* [Ethniciſmi, papatus] *ſedebant, ad dirigendos pedes ipſorum in viam pacis*, Luc. 1, 79.

Haraldus Klack.

Prima occaſio Chriſtianæ Religionis ad nos deferendæ fuit exilium *Haraldi Klack*, qvi regno pulſus à *Regnero Lodbroeg* circa annum Chriſti 826. ad Imperatorem *Ludovicum* in extremis rebus ſuis confugit: Hic opem ſuam & auxilium largiter ipſi ſpopondit, modò Chriſti cultum nomenq; ſuſciperet. *Haraldus* avidè, accepta conditione Maguncìæ unà cum uxore ac fratre *Erico* aliisqvè regni proceribus per Baptiſmum Chriſto nomen dedit: Atq; inde Saxonicis roboratus auxiliis regnum recuperavit, iiſq; fretus, in territorio Sleſwicenſi dicandam Deo ædem multis ſollicitè molliebatur impenſis: prophanata verò Ethnicorum errore delubra diruit, victimarios proſcripſit, flaminium abrogavit, atq, inconditæ patriæ Chriſtianiſmi ſacra primus Daniæ Regum intulit.

Anſgarius.

Circa annum 828. *Anſgarius* [qvi populorum ſeptentrionalium Apoſtolus jure meritoq; appellatur] à *Ludovico* Cæſare emiſſus, ſvadente & petente ipſum *Haraldo*, per haſce oras, ubi inventum eſt cornu noſtrum, venit in Daniam ad prædicandum Chriſti Evangelium: ubi poſt varia pericula & multos labores exantlatos magnam plebis multitudinem ad veri Dei cultum traduxit, operam fideliter conferente, qvem ſibi collegam laborumq; ſocium aſſumpſerat, *Autheberto*. Verum ſævâ mox tempeſtate ab idolorum patronis excitatâ ſub imperio *Regneri* legitimam Chriſti Religionem vehementer averſantis & proſcribentis cedere *Anſgarius* & repetere Germaniam cogebatur. Qvem qvidem *Ludovicus* circa annum 834. Archiepiſcopum conſtituit Hamburgenſem, ejusq; curæ ſeptentrionis populos doctrinâ Chriſti imbuendos commiſit: ſed poſtea circa annum 840. Hamburgo à noſtris funditùs exciſo, S. *Anſgarius* deſtitutus omni præſidio humano cum paucis aliqvot nudus miſerq; evaſit.

Ericus I.

Circa annum 853. rediit in Daniam *Anſgarius*, & Regem *Ericum I.* haud à Chriſti

Chriſti fide magnoperè alienum, utpote Maguncìæ una cum fratre *Haraldo* Baptiſmi ſacris jam ante initiatum, compellavit & in verâ fide ac pietate magis magisq; firmavit, qvi monitu & inſtinctu fideliſſimi hujus doctoris non modò templum, in qvo Chriſti doctrina ſonaret, Sleſwici exſtruxit, ſed etiam per univerſum regnum omnibus ſubditis liberum veræ religionis permiſit exercitium: qvâ occaſione infinita Ethnicorum multitudo, relictis idolis, Chriſtum confeſſa memoratur.

Ericus Barn.

Porro *Erico* I. interempto cum Succeſſor ejus *Ericus* Barn Paganiſmo adhuc imbutus, & Chriſti cultum abolere totis viribus conatus, religioſiſſimum qvemq; aut ſuppliciis inſeqvi, aut rebus exuere, exilioq; mulctare perſeveraret; *Anſgarius* ex Sveciâ redux [ubi jacta fideliter Evangelii ſemente haud exiguam laboris ſui meſſem reportaverat] magno animo ac ſpiritu Regem aggreſſus, illum ſalutaribus ſuis monitis eò flexit, ut ſacrilegæ mentis errore depoſito, qvicqvid per ejuſdem inſolentiam commiſerat, abundè expiaret, ſeq; pietatis verum alumnum & cultorem omnibus in poſterum approbaret. Qvin & edito in publicum mandato, Religionem Chriſtianam per univerſa Regni territoria promulgari, ſingulisq; ſeriò & ſeverè commendari voluit, exſtructa inſuper in Dei ſempiterni honorem inſigni apud Ripenſes Eccleſiâ. Ita *tantum in excolendâ Religione ſe geſſit, qvantum egerat in aſpernandâ*; uti loqvitur Saxo noſter.

Frotho 6.

Hoc modo ſeminatum in patriâ noſtrâ Evangelii ſemen paulatim magis magisq; pullulare ac uberiora indies ſumere cœpit incrementa. Nam circa annum 902. Rex *Frotho 6.* qvi in Angliâ jampridem Chriſtianiſmi peritâ, ſuſcepto Baptiſmi lavacro, ſacris Chriſtianis initiatus fuerat, privatam ſalutem ſuam in publicam exuberare cupiens, non modo Sleſwicenſem & Ripenſem Eccleſias bellis ſuperioribus dejectas redintegrari, ſed tertiam ipſemet è ſolo noviter excitatam conſtitui apud Arhuſienſes curavit: qvin & à Pontifice Romano [qvem Saxo *Agapitum* alii *Adrianum* vocant] Daniam Chriſtianâ imbui Religione petivit, qvod antequàm votis exeqveretur, morte præventus eſt.

Gormo Anglicus. Gormo 3.

Hujus filius *Gormo Anglicus* à pietate Chriſtianâ qvidem alienior; ſed nepos *Gormo 3.* acerrimus ejuſdem perſecutor fuit, qvi ſuccreſcentem Chriſtianiſmum in ipsa herbâ jugulare conatus, in Chriſticolas perinde ac teterrimos homines ſummâ crudelitate varioq; injuriarum genere debacchatus, templum etiam Sleſwicenſe ab imis fundamentorum partibus demolitus eſt, ut ibi priſcum delubris cultum reſtitueret. Sed tunc Deus exeruit *cornu* potentiæ ſuæ in ſalutem afflictiſſimæ Eccleſiæ: ſiqvidem Dani poſtqvàm non ſolum in Saxoniam arma tranſtuliſſent, verum vicinam etiam Friſiam imperii provinciam ferro & igne vaſtaſſent ab Imperatore *Henrico Aucupe* cum copiis profecto in dorſum uſq; Cimbricæ Cherſoneſi magnâ clade affecti ſunt, ſupremâ Numinis providentiâ ita bellum adminiſtrante, in magnum gentis noſtræ bonum. Nam hac occaſione Sleſwicum, *Hedeby* tum dictum, validum ac florens oppidum in captum præfecto tuendum dedit, eumq; *Marchionem* ſeu limitis comitem appellavit, conſtitutâ ſimul ibidem Saxonum coloniâ circa annum 928. qvæ cum conſtiterit hominibus Chriſtianis, illi (procul dubio) poſtmodum non exiguam operam præſtiterunt in vicinis Danis & Cimbris præſertim Chriſto adducendis. Qvin & Regem ipſum *Gormonem* Evangelio Chriſti infenſiſſimum victricibus iiſdem armis compulit, liberam religionis noſtræ profeſſionem, deinceps intrà regnum ſuum admittere, pacemq; æqvam cum imperio colere.

Unno Hamburgenſis.

Eadem uſus occaſione *Unno* Hamburgenſium id temporis Præſul in Daniam Sveciamq; enavigans, magno ibi fervore, nec ſine fructu Chriſtum deprædicavit,

vit, constitutis passim novellis Ecclesiis: & licet *Gormonem* ad saniora inflectere neqvierit, filius tamen ejus *Haraldus* doctrinâ fidei semet erudiri libenter permisit, âmatre *Tyrâ* Anglorum Regis filiâ jam antè Christianis conciliatus, cujus ille postea acerrimum egit assertorem, postqvam defuncto patre regnum obtinuisset. Occasionem verò illi consortium Catholicæ Religionis arctius amplectendi dedit Germanorum sub *Othone* Augusto in Cimbriam irruptio, qvibus fortiter repressis institutoq; cum Imperatore, colloqvio ac rebus compositis, Rex *Haraldus* cum conjuge *Gunildâ* filioq; *Svenone* ac universâ familiâ sacrosancto Baptismatis fonte ablutus fuit, idqvè (ut nonnulli tradunt) non procul Slesvico, in his ipsis oris, qvæ reddiderunt nobis hoc *aureum cornu*, juxta rivum, qvi inde *sacer* dictus, vulgò Hellige Becke. A qvo tempore Christi doctrinam per hoc regnum magno studio promovere cœpit *Haraldus*, adscitis è Germaniâ Episcopis, qvi rudem populum de vero Dei cultu instituerent.

Haruldus Blaatand

Verùm cum Danorum plæriq; pristinis adhuc superstitionibus tenaciter inhærentes, novam Evangelii doctrinam prorsus respuerent, induxerunt filium Haraldi *Svenonem* [*Svenothonem* vulgò vocant] ut sumptis armis patrem regno ejiceret, & simul Christianam religionem, qvam subditis sciebat esse exosam, & ipse ejuraret, & ex tota ditione exstirparet: Qvi postea parricidii pariter & sacrilegii meritas luit pœnas. Nam Deo justo & severo contemptus sui vindice omnem illi successum & prosperitatem subtrahente, tribus Julinenses navalibus præliis aggressus, toties ab iisdem victus captusq;, postea à Sveco etiam regno pulsus, integrum septennium extorris inter exteros egit, ab omnibus ferè neglectus atq; fastiditus. Donec tandem tot tantisq; ærumnis ad amplectendam rursus Religionis charitatem adactus, prioris vitæ facinora maximoperè detestari, & plenis pœnitentiæ lachrymis expiare cœpit: unde propitii Numinis favore Regnum amissum feliciter recuperavit, pro exilio patriam, pro paupertate amplissimum decus ac summam potentiam, & (qvod præcipuum est) pro æternâ morte vitam nactus sempiternam.

Svenotho.

Tunc eqvidem *Sveno* incredibili propagandæ Religionis flagrabat desiderio, haud tamen ausus subditos suos, qvos planè à Christiano cultu aversos noverat, inter initia præsertim recepti regni offendere. Sed dum hæc cogitatio animum ejus anxiè torqvet, ecce opportunè *Poppo Frisius*, vir doctrinâ & vitæ sanctimoniâ eximius, divinitùs excitatus prr tractum hunc Cimbricum in Daniam profectus, non modò salutaribus monitis & concionibus, sed simul qvoq; stupendo miraculo, ferrum videlicet candens nudis & tamen illesis manibus apprehendendo, ita singulorum perculit animos, ut universi in Christi cultum consentirent.

Poppo Frisius.

Atq; sic etiam *nobis* (Danis) *erexit Deus cornu salutis in domo David*, hoc est, verâ Ecclesiâ, qvæ tunc in omnibus penè provinciis paulatim emergere & plantari cœpit. Nam *Sveno*, Princeps religiosissimus, divinis rebus infatigabilem curam tribuit, & magnâ liberalitate amplissimum patrimonium Christo erogans, ipsius cultum novis sacerdotiis auxit, cellis atq; sacrariis decoravit: inde variis in locis varii constituti Præsules, Popponi Arhusium, Harico Slesvicus, Lefdago Ripæ cesserunt. Donec tandem sub *Svenonis* filio, *Canuto Magno*, Principe sanctissimo pariter & fortissimo, Catholica Religio, exterminato ubiq; Ethnicismo, caput suum exerens, per universas Regni oras splendorem suum diffudit: nam præter nominatos superiùs Episcopos, *Regnerus* Fioniæ, *Bernhardus* Scaniæ, *Gerbrandus* (aliis *Heribrandus*) Selandiæ Præsul constitutus, nihilq; in Religione propagandâ, excolendâ atq; ornandâ intermissum.

At

At enimverò Romana Ecclesia decursu temporis ab avitâ fide & pietate deficiens, mater omnis confusionis facta est, dum pristinam religionis puritatem ac simplicitatem in externum fastum & fucum mutavit; Christum verò cum mortis suæ λύτρῳ, merito & efficaciâ humanis traditionibus involutum penè sepelivit, & à mentibus oculisq; hominum amotum ablegavit: unde in oculis Domini fœtere cœpit, & veræ Ecclesiæ nomen ac conditionem penitùs amisit.

Sed tandem divina fecit Clementia, ut hoc *cornu salutis* è sordibus & qvisqviliis papisticæ superstitionis emergens, rursùs pristinum vigorem ac splendorem acqvireret. Qvod tentatum qvidem fuit primulùm apud Anglos à *Wiclevio* & *Johanne Purneo*, apud Gallos à *Gersone*, *Thomâ Rhodonico* & *Matthiâ Parisiensi*, apud Italos à *Francisco Petrarcha* & *Hieronymo Savanorola*, apud Bohemos à *Johanne Hussio* & *Hieronymo Pragensi*: effectum autem singulari Dei omnipotentis gratia apud Germanos à *Martino Luthero*, qvi divino numine & spiritu afflatus, depulsis idololatriæ pontificiæ nebulis, Evangelii lucem scriptis & concionibus suis accendit atq; obtenebrato mundo restituit, qvæ etiam è Germaniâ per tractum illum Cimbricum, qvi protulit *cornu* hoc *aureum*, ad nos penetrans *cornu tenebrarum*, regnum videlicet Antichristi ex augustissimo hoc regno penitùs exterminavit, nosq; jubare veritatis & cognitionis Dei illustravit, ut de terrâ nostrâ meritò usurpetur vox Jacobi Patriarchæ: *Hic non est aliud qvàm domus Dei & porta cœli*, Gen. 28, 17. Tempore qvidem Salomonis tanta Hierosolymis auri & argenti fuit copia, ut *argentum tam vulgare esset qvam lapides*, 1. Regum 10, 27. Sed in nos hodiè congessit Deus divitias spirituales, verbi scilicet annunciationem, nominis sui noticiam, fidem, remissionem peccatorum, conscientiæ pacem & varia atq; eximia Spiritus sancti dona cum certissimâ spe *hæreditatis incorruptibilis, immarcessibilis & æternæ in cœlis repositæ*, 1. Petri 1, 4. qvæ cuivis auro & obryzo, imò omnibus opibus mundanis longè præferenda, vide Esa. 60, 17.

Lutherus.

Hìc insuper nobis perpendendum est, qvanto constiterit sangvine Evangelii propagatio ad reliqvas plærasq; gentes & nationes, ubi tot exortæ persecutiones, cœdes, martyria; dum antiqvus ille Draco, insaniens adversus Christum atq; nomen ipsius delere cupiens [Apoc. 12, 3.] impulit mundi magnates, ut in ejusdem cultores & confessores ferro & ignibus sævirent; qvi furor nonnullis in locis tandem erupit in horrendas confusiones, seditiones, bella civilia, nec dum hodiè sopita. Apud nostrates contrà promulgatum est Evangelium absq; omni tumultu, sine cœde & sangvine, jubente magistratu, sciscente plebe, desiderantibus cunctis, solis Episcopis tantum Pontificiis metu amittendæ autoritatis & potentiæ frustrà obnitentibus. In isto communi omnium mirabili consensu Religionis & inferendæ & accipiendæ apparuit luculenter illud Davidicum: *Misericordia & veritas obviârunt sibi, Justitia & Pax se mutuo osculatæ sunt: Veritas è terrâ germinavit, & Justitia è cœlo prospexit.*

Evangelii ad Danos propagatū absq; tumultu.

Neq; negligendum, qvam variæ aliis in locis post ortam Evangelii lucem succreverint sectæ & hæreses, qvæ veluti Zizania noxia veritatis semen in ipsâ herbâ suffocârunt, Matth. 13, 7. 25. Qvot, qvæso, loca hisce annis rursus occupavit Antichristus? ubi, sanâ & salutari Christi doctrinâ prorsus eliminatâ, nunc meræ traditiones humanæ, mera dogmata Dæmoniorum audiuntur. Nobis interim divina bonitas Religionis Evangelicæ veritatem puram intactam conservavit, bono illo Pastore Jesu Christo lupos ab ovili suo fideliter arcente, cornu illo salutis eosdem procul depellente.

Purum & illibatum.

Daniæ præcipua gloria.

Qvemadmodum autem Cornu cervum, taurum, hircum, arietem qvasi coronat & pulchri instar diadematis exornat, uti antea monuimus: Ita hunc divinæ voluntatis patefactionem & institutionem veri & legitimi cultus pro summâ gloriâ & præcipuo splendore regni Danici habeamus, qvod hoc nomine *domicilium majestatis & gloriæ divinæ* nuncupari potest Psal. 26,8. Esa. 60,7. *Ubi Jehovah salutem & gloriam suam dat*, Esa. 46,13. *magnificentiam & decorem suum ostendit*, Psal. 96,6. Confer. Zach. 2,5.

Jactent alia regna magnificas opes, lata territoria, munitissima propugnacula, commodas leges, freqventiam civitatum, copiam incolarum & hujus census res alias, qvæ variis casibus expositæ ad veram salutem ac gloriam perennem haud qvicqvam faciunt. Dania verò nostra habet, de qvo jure meritoq; glorietur, Jerem. 9,24. legitimum, inqvam, verbi ministerium & sacrosancti Evangelii veram cognitionem, qvâ nihil melius aut præstabilius humano generi contingere potest, utpote cujus operâ & sensu fides in nobis excitatur Rom. 10,17. qvæ cœlestis gloriæ, vitæ & beatitudinis consortes reddit, Johan. 3, 15.16. cap. 17,3. sine qvibus bonis nihil prodesset omnibus Mundi bonis ac donis nos affluere Matth. 16,26. Atq; hoc est, qvod jussu divino suggerit Vates *Haggæus* senioribus Judæis, qvibus insigni affectis mœrore ob templi, qvod è captivitate Babylonicâ reduces ædificare cœperant, tenuitatem & angustiam, certò spondet, *majorem fore gloriam domus hujus posterioris* [ob Christum in hac æde concionaturum & miracula editurum] *qvam illius prioris*, templi videlicet qvondam à Salomone incredibili sumptu & magnificentiâ exstructi Hag. 2,10. Hoc ipso perspicuè docens, veram alicujus loci majestatem æstimandam esse, non ex splendore externo, magnificâ structurâ, auri, argenti aut gemmarum copiâ, politis & affabrè factis lapidibus, aliisve rebus caducis, qvæ hominum oculos perstringunt, sed sitam potiùs esse in Evangelii rectâ prædicatione, legitimâ sacramentorum administratione & syncero Dei cultu Ps. 26,7.8. Qvi thesaurus omnibus Persarum Gazis longe anteferendus Ps. 119,14. Et qvibus divinitùs hoc contigit beneficium, verè gloriari possunt: *inhabitat gloria in terrâ nostrâ* Psal. 85,10. *Corona gloriæ imposita est capiti nostro* Ezech. 16,12. Qvibus autem hoc ereptum fuerit, jure justissimo conqveruntur, *translatam esse gloriam à terrâ suâ*, 2. Sam. 4,21.22. *cecidisse de capite suo coronam gloriæ*, Jer. 13,18. Thren. 5,16.

Hinc Deo gratissimus.

Æqvissimum itaq; est, tantam Dei in nos benignitatem gratâ mente exosculari, exemplo Davidis Ps. 103,7. operamq; sedulò dare, ut non modò verbi cœlestis κειμήλιον instar thesauri pretiosissimi custoditum ad posteros illibatum transmittere studeamus, verum etiam vitam ad ejus præscriptum diligenter conformemus, ne luce perditâ novis iterum tenebris involvamur Johan. 12,35. Qvod eò promptiùs exeqvemur, si cogitaverimus, maximam partem generis humani, qvæ etsi caducis gaudeat bonis, tamen hoc summo bono carere, adeoq; oppressam esse tristissimis errorum tenebris Luc. 1, 79. & horribili idololatriâ atq; aliis nefandis hæresibus aut sceleribus contaminatam, à Deo planè exulare. Cum interea in hic locis colligat Deus Ecclesiam, cui in verbo prædicato sanctissimam voluntatem suam aperiat Ps. 147,19. Esa. 48,17. Sapientiam & justitiam communicet Ps. 51,8. gratiam, remissionem peccatorum & vitam offerat æternam Luc. 24,47. Joh. 3,15.16. Id igitur qvi non agnoscit atq; ejus cogitatione ad gratias Deo agendas neqvicqvam accenditur, eum non esse stupidum tantùm, sed impium prorsùs & in Deum & in se qvoq; necesse est, Es. 42,19.

SECT.

SECT. 2.

Qvomodo hoc Cornu accuset nefandam nostram in Deum beneficium contumaciam atq; ingratitudinem.

Ingratitudo nostra.

Effatum illud Alphonsi Regis: *An ignoras, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri?* [Panormitan. lib. 2. de rebus gestis Alphonsi] in nobis [proh dolor] Deus Opt. Max. indies experitur. Tanta sunt, qvæ contulit Deus in gentem nostram, beneficia hactenus enumerata, ut illa vel saxis emolliendis sufficere deberent: sed qvotusqvisq; est, qvi hæc agnoscit, æstimat, ac ipsi eorum nomine debitas refert gratias? Ea est ingenii nostri perversitas & contumacia, ut, qvò magis donis suis nos allicit Deus, eò longiùs ab illo recedamus, & pro beneficiis acceptis maleficia ipsi reponamus.

Gratitudinis officium ex communis naturæ legibus omnes observant creaturæ, unde & bruta animalia suos benefactores agnoscunt & studiosè suspiciunt, *Novit hos possessorem suum & asinus præsepe heri sui*, Esa. 1,3. solus homo beneficiorum Dei immemor, ex illis plærumq; lasciviendi occasionem arripit, & pessimarum cupiditatum studiis immersus, creatoris simul & benefactoris sui obliviscitur, derivatâ in se qverelâ illa Deut. 32,6. *Hæccine reddis Domino, populo stulte & insipiens?*

Pluſqvam belluina.

Inspiciamus *Cornu* nostrum, percurramus omnia & singula ejus Emblemata, nihil hic tam monstrosum, tam fœdum, horrendum, qvod non nostris subinde exprimamus flagitiis, ut meritò nos feriat accusatio, Esa. cap. 1,4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniqvitate, semini neqvam, filiis sceleratis*, &c.

Contemptus verbi.

Inter vitia autem hodiè grassantia chorum ducit verbi divini contemptus, qvi morbus adeò inter nos invaluit, ut vim omnem respuat medicinæ, nec ullis vel Dei minis, vel Magistratus mandatis, vel doctorum monitis sanari qveat. Qvot, qvæso, videmus, qvi conciones sacras planè fastidiunt, & illis rarissimè nec nisi inviti & coacti interesse dignantur. Unde fidelis præco sæpiusculè qveri cogitur: *Cui loqvar: qvem contestabor, ut audiat? Ecce præputiatæ sunt aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Dei factum est eis in opprobrium, & aversantur illud*, Jer. 6,10. Alii templa qvidem freqventant, & verbum audiunt, sed non obtemperant, non ad usum transferunt, nec inde emendari curant, Esa. 42,23 Ezech. 33,31.32. Zophon. 1,2. Psal. 50,16. Jac. 1,23. E contrario ejusdem præcepta securi calcant, Jer. 44,16. admonitiones spernunt, 2. Reg. 17,14. 40. minas rident 2. Paral. 36,16. Esa. 5,19. Jer. 17,15. Ezech. 12,22. 2. Pet. 3,3. & seq.

Scaturigo pluf. peccatorum.

Ex hoc verbi contemptu, veluti venenosâ qvadam scaturigine, orta est effrenis omnium scelerum licentia, qvæ apud plærosq; in peccandi consvetudinem atq; contumaciam degeneravit, & diluvii instar terram inundavit universam; ut si redivivus hodiè Vates Hoseas nos conspiceret, jure in nos stringeret accusationem suam, cap. 4,1.2. *Non est veritas, nec benignitas, nec cognitio Dei in terrâ* [hac] *Pejerare & mentiri, & occidere, & furari & mœchari inundant, & sanguis sanguinem contingit.* Ita nimirùm Christiani nominis professores vitam suam instituunt. ut vel prophanis gentibus horrori & abominationi sint, ac illorum judicio damnari qveant, Jer. 2,7.8. Amos 3,9, 1. Cor. 5,1.

Securitas.

Et qvod imprimis dolendum est, tanta interim plærosq; comitatur securitas, ut nullo planè timore Dei tangantur, &, qvamvis vitiis & flagitiis cooperti, ita tamen agant, ac si Deus aut nullus esset, aut cœcus, qvi nihil videret, aut

ignavus, qvi nihil curaret, aut memoria ejus labilis, cui citò excideret, qvod noverat, ac proinde nunqvàm sibi esse rationem coram ipso reddendam Psᵗ. 10, 4.11. Psᵗ. 14,11. Psᵗ. 32,2. Hosᵉ. 7,2.

Atq; hæc prophana securitas & spes impunitatis causa est præcipua, cur homines qvidvis perpetrandi audaciam sibi sumant, & scelera sceleribus protervè accumulent: Nam *qvi dicunt in corde suo, non est Deus*, facilè *corrumpuntur, & abominabiles fiunt in iniqvitatibus, ut non sit inter eos qvi faciat bonum* Psᵗ. 53,2. Qvamobrem mirum non est, qvod homines nostri à nemine corrigi aut taxari se ampliùs patiantur, sed extremè oderint & persequantur, qvicunq; eos vel tantillum redarguit. Hinc illa sæculi nostri deplorata perversitas: hodiè cum luxu, superbiâ, stupris, adulteriis, rapinis, impostoris & omnis generis sceleribus omnia perstrepant, nos adhuc tamen securi deliciamur, & nobis atrocem injuriam fieri putamus, si qvis ista paulò liberius reprehendat, Amos 5,10. Sap. 2, 12.

Seculi nostri perversitas.

Cum igitur surdis auribus committantur, qvæ de peccatorum fœditate & imminenti Dei vindictâ dicuntur, jam oculos nostros Deus externis & visibilibus signis cœpit perstringere, qvalia sunt terræ motus, diluvia, tempestates inconsvetæ & id genus alia, in qvibus meritò numeramus hujus *cornu* tam rarum opus & varios characteres: qvod ideo ex abditis terræ mirabiliter protraxisse videtur, ut ejus intuitu nos citet ad tribunal suum, ac scelera nostra atrocissima accuset, intonans illud Hosᵉ. 4,1. *Audite verbum Domini, filij Israel* [Dani] *Namlis est Domino cum habitatoribus hujus terræ*, &c. vide Mich. 6, 2.

Hoc cornu portentosum qvid.

Prodi ergò in conspectum Dei, qvi monumentum hoc aut iconem ejus intueris, & in eo te tuamq; malitiam contemplare ac deplora.

Tu eqvidem indignaris, qvod aureum illud κειμήλιον tot sæculis in pulvere & sordibus terræ jacuerit sepultum: nec attendis per flagitia tua abominanda *Cornu Salutis* Jesum Christum qvotidiè pedibus conculcari & luto ignominiæ aspergi, Hebr. 6,6.

Redarguit præcipua sæculi flagitia.

1. Tu cernis, ut cornua in supremo fronte ferocientis tauri sublimia emineant, atq; assurgant in altum: nec unqvàm cogitas de tuâ ambitione, superbiâ, arrogantiâ deponendâ, qvâ *attollis in altum cornu tuum*, Psᵗ. 75,6.

2. Tu expavescis, qvoties taurus efferatus minora pecora suis prosternit cornibus: nec cessas cornu sævitiæ tuæ homines miseros & imbecilles infestare, Ezech. 34,21.

3. Tu nudos tot homines in hoc apparentes cornu studiosè scrutaris: nec cordis tui fœdissimam nuditatem ac turpitudinem pudendam animadvertis, Apoc. 3, 17.

4. Tu horres serpentes varios, variis formis & figuris in cornu nostro extantes: nec erubescis virulentiâ & versutiâ plusqvàm serpentinâ proximum tuum lædere & afflictare, Jer. 51.34. Psal. 140,4.

5. Tu miraris bestias humano conspicuas capite: nec te sentis sub formâ & capite hominis belluinam circumferre feritatem, stuporem, immanitatem, &c. Proverb. 28, 15.

6. Tu stomacharis & molestè fers, qvod pisces ab avibus crudeliter lacerentur: nec te esse illum Milvum, illum Vulturem intelligis, qvi bona aliis iniqvissimè erepta luxu & ingluvie absorbes, Job. 20,15. Amos 2,8. c. 1.

7. Tu *Virga* es & *Baculus indignationis divinæ*, qvi filios Dei immaniter cædis affligis, Esa. 10,5.

8. Tu

9. Tu retibus & funiculis proximum implicas, qvem fraudibus, dolis & insidiis circumventum evertere paras, Psᵗ. 140,6.

10. Tu *eqvitas super capita hominum*, qvibus à te subversis insultas petulantissimè, Psᵗ. 66,12. & *conteris super pulverem terræ capita pauperum*, Amos 2,7.

11. Lingva tua calumniatrix est *gladius strictus* Psᵗ. 55,22. *sagitta acuta*, Psal. 120,3. qvâ sæpiùs famam aliorum gravissimè sauciasti.

12. Tuo pectori & conscientiæ incubat non unus homo à te prostratus, qvem si non ferro jugulâsti, tamen vel odio prosecutus es, Matth. 5, 22. 1. Joh. 3, 15. vel obtrectante lingvâ percussisti, Jer. 18,18. vel substantiis spoliasti, Sir. 34, 26. vel alio injuriarum genere affecisti.

13. Tu Centaurus ille, qvi omnia disciplinæ disrumpens lora cursu plusqvam eqvino in tuum ruis exitium, Jer. 8,3.

14. Tu monstrum humano corpore, ferinâ facie, qvi crudelitatem lupinam, Jer. 5,6. rabiem exerces caninam, Psᵗ. 22, 17.

15. Tu gladium levas & securim, qvi omnia violenter agis Sap. 2, 11. Pauperes iniqvè opprimis Psᵗ. 12, 6. In servos Christi atrociter sævis Jer. 20, 2.

16. Tu numerandus inter bestias ferocientes, vocanti Pastori obvertentes terga, qvi contumaciter pias repellis admonitiones, consilia salutaria repudias, ambulans in viâ non bonâ post cogitationes tuas, Esa. 65, 2.

17. Tu viro assimilaris, contemplanti faciem suam in speculo, sed ejus formam statim obliviscenti, qvi verbum Dei audis, nec illud factis vitaq; exprimis Jac. 1, 23. 24.

18. Tu surdior aspide, qvi ad correptionem legis divinæ aures obturas, animum obduras, Psᵗ. 58, 6.

19. Tu mutior pisce, qvi nec delicta confiteri, nec Deum precibus invocare, laudibus celebrare, nec tristiciam proximi verbis factisq; levare unqvàm studes, Psal. 58, 1.

20. Tu caput illud cœcum, qvi oculos habes & non vides Jerem. 5,21. Esa. 6,10. Matth. 13,14. Rom. 11,8. qvi nec tuum sentis periculum, nec gratiam Dei merito Jesu Christi partam & in Evangelii dulcissimis concionibus tibi instar stellæ fulgidissimæ allucentem ullâ respicis fiduciâ, nec opera Domini magnifica, Psᵗ. 111, 2. debitâ attentione intueris, Esa. 5,12.

Tu deniq; *florem campi & lilium convallium* Cant. 2,1. [Salvatorem tuum, ejusq; doctrinam & Ecclesiam] plane aspernatus, caducis Mundi hujus floribus, veluti divitiis, honoribus, voluptatibus toto animo ita infixus hæres, ut nec mortis acerbitatem, nec Resurrectionis veritatem, nec Judicii severitatem, nec Inferni cruciatum unqvàm expendas, ideoq; in malitiâ tuâ tam obstinatè progrederis, *qvasi fœdus percussisses cum morte & cum inferno pactum fecisses*, Esa. 28,15.

Hic cursus est salutaris, qvem non absq; fructu singulari instituere qvotidiè possumus per hoc cornu, ejusdem & annulos diligenter excutere & universa simulachra rectè nobis applicare: Ita nemo nostrum erit tam integer vitæ scelerisq; purus, qvi non hic inveniat, qvod ipsum redarguat. Qvis enim potest dicere: *Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Prov. 20,9.

Sed hæc parùm proficient apud pertinaces & obduratos, nisi ulteriùs pergens, pœnas ipsorum debitas contumaciæ, & in cornu nostro delineatas, simul explicaverim.

SECT.

SECT. 3.

Qvomodo hoc cornu denunciet imminentes pœnas & calamitates graviſſimas.

Immanis hominum ſtupor.

NOtum eſt illud, Sir.5,7. *Miſericordia & ira apud Deum citæ ſunt* [hoc eſt, Deus tam citò iraſci poteſt, qvàm miſereri] *ſed ſuper peccatores incubabit ejus indignatio.* Qvibus verbis eorum perſtringitur ſtulticia, qvi ſibi in ſceleribus ſuis blandientes, perpetuam ſibi promittunt impunitatem: ideoq; immensâ Dei miſericordiâ & longanimitate petulanter ad ſecuritatem & peccandi licentiam abutuntur, donec eandem convertant in juſtiſſimam iram atq; indignationem, Pſ. 50,22. Deus enim qvò majore homines antè fuerat amore complexus, eò vehementius ira ejus poſtea in illos exardet: Eſa.5,25. Et qvò plura acceperant ingrati beneficia, eò graviora ſeqvuntur ſupplicia, Deut.28,63. Unde conſtat, qvid nobis tandem ſit eventurum, qvi omnis generis ſceleribus ſecurè indulgentes, *divitias clementiæ & bonitatis divinæ* neſcio *contemnimus, theſaurum* verò *iræ* ejuſdem nobis magis magisq; indies *coacervamus*, Rom.2,4.5.

Qvem excutiet hoc cornu.

Cum autem tantus ſit ſtupor ac cœcitas mentium humanarum, ut pauciſſimi inveniantur, qvi gravitatem iræ Divinæ agnoſcant, aut in vero ejus timore perpendant Pſal.90,11. Ecce in medium producitur *Cornu* noſtrum, & nobis ob oculos ponit iram illam Dei horrendam, qvam peccatis noſtris provocavimus: ex qvâ veluti ex igne accenſo [Deut.4,24.] omnis generis calamitates, tanqvam ardentes carbones proſiliunt, & peccatores ſecuros ac pœnitere neſcios conſumunt, Pſ.90,7.

Pœnæ contempti Evangelii.

Porrò docet Scriptura peccata illa, qvæ in hoc cornu notantur & inter nos hodiè graſſantur, atq; imprimis verbi divini contemptum à Deo irato duabus potiſſimùm pœnis publicis vindicari, qvarum altera ſpiritualis, altera corporalis eſt: utraq; indigitatur, Matth. 23,38. 39. & in hoc monumento manifeſtè adumbratur.

1. Veritatis privatio.

Prior pœna, qvæ attrahitur SS. Evangelii contemptu, eſt occæcatio & veritatis ereptio, de qvâ Paulus loqvitur, 2. Theſſ.2,10. 11. 12. *Propterea qvod amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes, qvi non crediderunt veritati, ſed approbaverunt iniqvitatem.* Eſt hoc juſticiæ divinæ conſentaneum, ut, qvi veritatem verbi divinitùs patefacti improbè aſpernantur, mendaciis hæreticorum miſerè decipiantur; qvi lucem meridianam oderunt, nocturnis tenebris obruantur, Pſ. 81, 12,13. qvi cibum ſvaviſſimum faſtidiunt, fame premantur, Amos 8,11.

Adumbrata hoc cornu.

Intuere, qvæſo, *Cornu* noſtrum qvod initiò ex auro puriſſimo magnâ curâ & impensâ conflatum atq; in ſummo pretio à Regibus habitum, ſpectatores ſuos de rebus graviſſimis ac utiliſſimis admonebat: ſed vel poſſeſſoris negligentiâ atq; oſcitantiâ amiſſum, vel à fugiente ex prælio abjectum, atq; ità ab hominum oculis ſubductum & luto cœnoq; immerſum ſub terrâ tot ſæculis latitavit: ex qvâ cum rurſus prominere cœpiſſet, ut arboreæ radicis propago nullius pretii negligebatur: Poſtqvàm verò è terrâ erutum fuit, primò ruſticis ac ſervilibus contrectatum manibus, tanqvam inutile pondus rurſus abjiciendum judicabatur. Unde prima inventrix ejusq; comites indignæ fuerunt, qvæ κειμήλιον tam nobile diù vel retinerent vel oculis ſuis uſurparent: ſed ad Reg. Majeſtatem, ut par eſt, delatum, tandem ceſſit Sereniſſimo Principi, qvi tanti theſauri juſtus

juſtus æſtimator, mundari & poliri illud curavit, atq; adhuc in amore & deliciis habet.

Hæc ita perpendas, ut ſimul obſerves, qvomodo Evangelium Jeſu Chriſti, *cornu* illud *Salutis* verè aureum, verè pretioſum nobis indies vileſcat, ac penitus ſordeſcat. Qvot, qvæſo, inveniuntur, qvi diem Domini ſanctificare & conciones ſacras audire, intolerabile onus eſſe ducunt? Amos 8,5. qvi omnem movent lapidem, ut verbi doctrinas & præcepta, utpote ſuis deſideriis ac pravis ſtudiis inimica, tanqvam res nullius momenti, à ſe repellant & pedibus conculcent Pſ.2,3. Qvid ergò aliud expectandum, qvàm ut Deus juſtiſſimus judex verbi ſui theſaurum inæſtimabilem ab ingratiſſimis oculis auribusq; noſtris auferat atq; ſubducat?

Præſertim in Circulo ſexto.

Neq; verò hic ſubſiſtamus, ſed contemplemur Emblemata Cornu noſtri, & imprimis caput illud grande, oculis deſtitutum, qvod in Sexto apparet circulo, imaginem ſanè perqvàm aptam conditionis noſtræ: ſiqvidem Deus juſto ſuo judicio nos verbi ſui ſanctiſſimi deſtitutos, tradiderit in reprobam mentem, atq; ita nobis *oculos* dederit *viſu, aures auditu carentes*, Rom.11,8.

Eſt hæc pœnarum, qvæ in hujus vitæ ſtadio currentibus accidere poſſunt, omnium graviſſima. Ut enim verbi revelatio indicium eſt certiſſimum divini favoris & paternæ bonitatis Pſ.147,19. Ita ſummæ indignationis ſignum eſt, ſi illud Deus auferat Deut.29,27. nosq; ceu abdicatos alloqvio ſuo dedignetur Eſa. 1,15. Ezech.14,3. Deinde ut corpus ſine alimento conſervari impoſſibile eſt: Ita anima, niſi Dei verbo confirmetur, nec vivere, nec inter tentationum æſtus conſiſtere poteſt Pſ.94.19. Pſ.119,92. Et ſicut fames corporalis ad horrenda & diriſſima qvæq; facinora homines adigit, ut vel per ſcelera graviſſima victum ſibi qværant, Prov.30,9. vel in proprios liberos Deut.28,53. Levit.26,29. Jerem.19,9. Ezech.5,9. aut etiam proprios artus crudeli rabie graſſentur, cujus in hiſtoriis exempla paſſim extant: Ita cum DEI verbo deſtituuntur homines, in adverſis horribiles animæ cruciatus ſentiunt, qvi illos cogunt ea facere, à qvorum cogitatione alieniſſimi eſſe debebant. Accuſantur enim à propriâ conſcientiâ, qvæ mille teſtium inſtar anteacta facinora in mentem revocat Pſ.38,5. Thren.1, 14. Ob oculos autem verſatur perpetuò Dei ira, qvâ nihil atrocius excogitari poteſt Job.6,4. Pſ.38,3.

Omnium calamitatū triſtiſſima.

Conqveruntur de his pii qvoqve, licet verbi conſolationem nunqvàm planè amittant, ſicuti in *Davide* Pſal. 6, 4. Pſ.31,23. Pſ.77,3. &c. *Jeremiâ* Thren. 3,18. & multis aliis eſt videre. Impii verò, qvos nulla ſuſtentat conſolatio vel indurati in omne ſcelus ruunt, Deoq; [ut olim *Pharao* Exod.5,2.] ſeſe hoſtiliter opponunt: vel deſperatione toti abſorbentur, cum nihil in Deo videre poſſint, præter Juſtitiæ rigorem, qvo illis urſi aut leonis inſtar occurrit Hoſ. 13,7. 8. Exemplum hujus rei horrendum in *Saule* habemus, qvi cum Samuelis vivi monita impiè repudiâſſet, tandem extremis circumventus anguſtiis mortuum audire cupit, & ad Pythonicas artes converſus, per illas Dei oracula ſciſcitatur, qvæ illis majoris deſperationis, imo interitus præcipua fuit cauſa 1. Sam. 28. & 31. Similia etiam in *Caino, Juda* proditore & hodiè in multis videmus, qvi deſperatione ſuperati ſibi ipſis manus violentas inferunt.

Qvod ſi in privatis hominibus tam gravis eſt contempti verbi vindicta, qvantò graviorem hanc fore putabimus, ſi totus populus verbi divini doctrinâ & conſolatione privetur? de qvo Salomon monet Proverb. 29,18. *Cum Prophetia defecerit, diſſipatur populus*, h.e. ſeparatur & à ſe invicem variis erroribus & inimicitiis, & à Dei gratiâ in hac vitâ, & glorià in futurâ, &c.

Erant

Erant hæc diligentius considerandа hoc nostro sæculo, qvando multa sunt, qvæ ingrato & infelici mundo hanc pœnam minantur. Videmus eqvidem singulare Dei beneficium, qvi diu absconditam Evangelii lucem revelare dignatus est; & hoc jam inde ab Apostolorum temporibus vix unqvàm tantâ libertate prædicatum fuisse constat. At qvotusqvisq; est, qvi hoc Dei beneficium agnoscat? Plærisq; lusus jocusq; videntur, qvæ dicuntur. Alii doctrinæ veritatis studium qvidem profitentur, sed illius monita securi negligunt Ezech. 33, 31. & sub hujus prætextu affectuum suorum corruptissimorum studia sectantur, Psal. 16, 17. & seq. Non temerè ergò metuunt homines pii & cordati, fore, ut verbum Evangelii Deus nobis eripiat, & tenebris ipso papatu gravioribus aliqvando nos obruat.

Nobis impendens.

Præludia hujus mali non contemnenda apparent in Judæorum exemplo, qvos Deus horribili judicio abs se rejectos totius mundi exposuit ludibrio: nec qvicqvam impœnitentibus profuerunt insignes illæ prærogativæ, qvibus hunc populum Deus præ aliis gentibus dotaverat Rom. 3. 2. cap. 9, 4. 5. Ps. 147. 20. &c. Unde qvid nobis itidem impendeat, facilè colligimus, suggerente Apostolo, Rom. 11, 21.

Qvam alii experti, ut Judæi.

Terreant nos tot Ecclesiarum Asiaticarum ruinæ, qvæ cum olim ab ipsis Apostolis plantatæ, nostris tum vetustate, tum fidei & pietatis existimatione longè præstantiores fuerint, nunc totæ extinctæ jacent: qvales Antiochenam, Alexandrinam, Ephesinam, & infinitas alias fuisse legimus, in qvarum locis hodiè immanis Turcarum tyrannis grassatur, & infelicis Mahumeti deliria dominantur.

Asiatici.

Horreamus insuper inspicientes potiorem Europæ partem hodiè partim tenebris ac fuco Antichristi obfuscatam, partim tot aliis sectis & hæresibus immersam, ut subinde ingeminare illud Davidicum necesse sit: *Defecit sanctus, imminuti sunt veraces à filiis hominum*, Ps. 12, 2.

Nec pauci Europæi.

Imprimis nos moveat vicinæ Germaniæ miserrimus status, in qvâ aliqvot annorum decursu tot Ecclesiæ Christi dissipatæ: qvin & integræ regiones & provinciæ, veluti, Bohemia, Austria, Moravia, Silesia & aliæ rursus Antichristi jugo succubuerunt, sacrosanctâ Evangelii doctrinâ penitus profligatâ.

Præsertim Germani

Qvamobrem non est, qvod in hisce oris Christum cum gratiâ & Evangelio suo nobis indivulso nexu ita adhærere arbitremur, ut nunqvàm à nobis emigraturus sit, qvocunq; etiam modo nos geramus. Metuendum potiùs idem malum, qvod alios in eodem hærentes luto dudum concussit; idq; eò certiùs, qvò plures Deus colligit ad se qvotidiè fideles operarios, & qvò pauciores supersunt, qvi ingruenti malo resistant aut resistere possint: Cum eorum, qvi illis succedere debebant, non exigua pars vel insanâ & infami morum licentiâ, qvæ hodiè (proh dolor) in nostro ordine ferè regnat, autoritatem suam turpiter prostituat vel suis potiùs commodis aut honoribus, qvàm saluti publicæ, intenta, negotium Dei frigidissimè agat, Jerem. 48, 10. Qvid ergò expectemus? qvàm brevi apud nos qvoq; famem istam spiritualem [Amos 8, 11.] grassaturam, cujus vim intolerabilem esse tunc experientur magno suo malo, qvi nunc minas ejusmodi rident, & peccandi licentiam Dei verbo anteponunt.

nos metuamus.

Hæc omnia commonefacere nos debent, nè ampliùs oblatam gratiam divinam tam protervè respuamus, nevè, posthabito verbo Salutis, affectibus nostris indulgeamus, sed cum timore illud audiamus, auditum fide amplectamur, eiq; constanter adhæreamus: Deum insuper qvotidiè intimis suspiriis invocemus, ut ne pretiosissimum hunc animæ thesaurum ob summam nostram ἀχαριστίαν eripiat: ingeminantes illud Psal. 119, 43. *Ne auferas ab ore meo verbum veritatis*, &c.

Altera pœna publica, qvæ adscisitur imprimis contemptu Evangelii est *Bellum*, qvo nomine omnia publicata & privata mala simul comprehendi possunt, sicuti antea in Circ: 3. indicavimus. Nam hìc non tantùm humanus sangvis instar aqvæ effunditur Psal. 79, 3. Sed etiam urbes destruuntur Deut. 28, 52. regiones devastantur Jerem. 4, 20. Ecclesiæ & scholæ dissipantur, toti nonnunqvàm populi exscinduntur, Esa. 9, 14. Amos 2, 9. cap. 4, 2. Hos. 4, 6. Regna & respublicæ non rarò vel evertuntur Amos 9, 8. vel tyrannidi aut peregrino imperio subjiciuntur Job. 34, 30.

Bellum qvantum malum.

Hanc verò calamitatem præcipuè attrahi contemptu verbi divini sæpe innuit scriptura, ut Deut. 28, 49. & seq. 1. Regum 9, 6. 7. 2. Regum 17, 16. 18. 23. Esa. 24, 5. cap. 30, 12. & seq. cap. 42, 24. Jerem. 5, 9. & seq. cap. 6, 10. 11. 12. cap. 7, 13. & seq. Ezech. 14, 13. Hos. 4, 6. Matth. 23, 38. &c.

Infertur ob verbi contemptum.

Testantur omnium sæculorum historiæ, nullam unqvam gentem aut tempub: qvæ hoc vitio se infecerit, impune tulisse, sed tristissimæ concussioni, nec rarò universali destructioni fuisse obnoxiam. *Ecce oculi Domini in regnum ita peccans, ut deleat illud à superficie terræ* Amos 9, 8. Ob hoc flagitium primi mundi incolæ perierunt diluvio: Sodomæi eversi sunt igne & ardente sulphure cœlitùs emisso: Ægyptiis variis plagis gravissimè afflicti. Hæc itidem causa fuit, cur urbs Hierosolyma adeò miserabiliter vastata, ejusq; cives tam crudeliter sint excisi Luc. 19, 44.

Imprimis oculos convertamus in afflictissimam Germaniam, qvæ cruento & funestissimo hoc bello tot annos vexata, tot cladibus, lanienis, incendiis, direptionibus concussa, documentum dat, qvanto iræ ac furoris æstu Dominus verbi sui vindicet contemptum, qvod integrum seculum ante ortum hoc bellum operâ B. Lutheri Germanis innotuit: Unde promptum est colligere, eadem nobis ingruere mala, si non majora etiam atq; terribiliora juxta illud Luc. 13, 3. Siqvidem nos non tantùm, ut vicini Germani, minis verbi divini, sed ipsorum etiam exemplo moniti, à simili contumaciâ & securitate non abstinemus: ideoq; in nos congruit illud: *Servus ille, qvi novit voluntatem Domini sui, & non præparavit se, nec fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis*, Luc. 12, 47.

Testis Germania.

Idem nobis multifariàm inculcat hoc *Cornu*. Nam primùm in genere constat ex iis, qvæ supra exposuimus, nomine *Cornu* designari vim violentiam tyrannicam Psal. 22, 22. Ezech. 34, 21. & in specie talem, qvæ in bellis exercetur, Zach. 1, 21. Nec non ipsos bellatores Deut. 33, 17. eorumq; aciem jam ad prælium instructam 2. Macc. 15, 20. unde facilè conjicitur, qvid Deus sibi velit hoc portento, qvod tam subitò & inopinatò in nostrum prodiit conspectum, & qvidem egressum ex ultimâ hujus regni provinciâ Germanicâ finitima imperio, qvod tam diù tot cornibus bellicis ventilatum & qvassatum nobis, veluti *paries proximus ardens*, eandem calamitatem comminatur.

Repræsentatur in aureo cornu.

Deinde qvid secum ferat terribile illud belli *Cornu*, qvando à Deo irato in hominum perniciem expeditur, perspicuè monstrant plurima *cornu* nostri simulachra.

In specie.

Cum undiq; in omnibus penè circulis homines conspiciantur *nudi*, monemur, & nos ob spretam Evangelii doctrinam *nudos* esse, h. e. orbatos Dei gratiâ & auxilio Exod. 32, 25. Et, nisi resipuerimus, terram nostram *nudandam*, h. e. ab hostibus crudeliter diripiendam esse, Esa. 24, 1.

2. Occurrunt hic diversa tela, ut *baculus*, *gladius*, *arcus*, *securis*, &c. qvæ ostendunt, qvid nobis indies sit expectandum. Nam

1. Qvi verbi *baculo* regi & corripi detrectârunt, à *virga furoris & baculo indignationis divinæ*, h.e. à sævissimo hoste, flagellabuntur, Esa.10,5.

2. Qvi animum obdurarunt adversus Christi *gladium & sagittas*, doctrinam scilicet & admonitionem, sentiet corpus suum ab hostium gladio consumi Jer. 12,12. sagittis percuti, 2.Reg.22,34.

3. Qvi, ut arbores putridæ, non bonos fidei tulerunt fructus, hostium *securibus* ceu ligna inutilia, excidentur, Jer.46,22.

4. Qvi Christo *eqvitanti super verbum veritatis* [Psal.45,5.] pectora sua occluserunt, sentient immanissimos hostes *suis inequitare capitibus* Psal.66,12.

5. Qvi colla sua doctrinæ Christi contumaciter subtraxerunt, *funibus* & vinculis hostium constringentur, 2.Paral.33,11.

6. Qvi ut *pisces* contumaces projectum Evangelii rete [Matth. 4,19.] effugerunt, ab hostibus, ut ingentibus balænis, deglutientur, Hab.1,13.

Bellatorum descriptio. Præterea plærorumq; militum hodiè belligerantium sævitiam & immanitatem insinuant non pauca *cornu* nostri Emblemata.

1. Sunt *serpentes*, qvi nunc fraudibus & stratagematibus (Gen.49,17.) nunc vi & vehementiâ nos invadunt, Esa.14,29.

2. Sunt *bestiæ*, qvæ omnem humanitatem exuerunt, & furore belluino humanum sangvinem effundunt Psal.79,3.

3. Sunt *vultures*, qvi omnium facultates diripiunt, & carnes rodunt Mich.3,3.

4. Sunt *piscatores*, qvi violentiæ suæ sagenâ incolas è patriâ, tanqvam pisces ex undâ, invitos protrahunt Jer.16,16.

5. Sunt *Carnifices*, qvi severam supremi Judicis sententiam in maleficos strenuè exeqvuntur Joel.2,11.

6. Sunt *Centaurri*, qvi Aqvilæ instar in regionem involant, Deut. 28,40. & *leviores pardis, velociores lupis vespertinis* omnia celerrimè occupant, Hab.1,6.8.

7. Sunt *Lupi*, qvi miseras oves crudeliter dilaniant, Ezech.22,27.

8. Sunt *Canes*, qvi immani rabie in propriâ sævîunt speciem Jer.15,3. Psal.22,17.

9. Sunt deniq; *Lanii*, qvi homines tanqvam pecudes mactant (Zophon.1,7.) eorumq; corpora avibus ac feris voranda prosternunt, Jer.16,4. Psal.79,2.

Qvanta sit calamitas ejusmodi, non dicam hominum, sed belluarum, sed monstrorum expositum esse furori, experti sunt & experiuntur adhuc Germaniæ qvamplurimi incolæ, qvi legitimi Magistratus sui tutelâ & patrocinio orbati, exterorum verò hostium violentâ tyrannide oppressi, partim gladio, fame, aliisq; miseriis perierunt, partim adhuc superstites mille qvotidie mala ipsâ morte duriora patiuntur, ut gemere, cogantur ex Psal.44,23. *Occidimur qvotidiè, æstimati sumus sicut oves mactationis.*

Hæc ita consideranda, ut Deo pro tranqvillo & pacifico hujus regni statu gratias ex animo agamus, qvi in hunc usq; diem *vectes portarum nostrarum confirmavit, finibus nostris pacem disposuit* Psal.147,13.14. adeoq; nos *muro igneo* circundatos, ab hostium incursionibus tutos præstitit Zach.2,5.

Contra hos precibus pugnandū. Illum porrò calidissimis votis rogemus, ut horrenda ista iræ suæ flagella procul à nostris finibus, domiciliis, cervicibus arceat & propulset Psal. 91,10. & imminentē cladem vel planè avertat Joel. 2,20. Esa. 37,29. vel clementer mitiget Jer.30,11. Psal.118,18. Inprimis verò ut *pacē & veritatē* stabiliat *in diebus nostris* Esa.39,8.

Hæ sunt duæ gravissimæ calamitates publicæ, qvæ contemptum Evangelii comitari solent, & ob eundem nobis certissimè ingruunt. Qvi autem

nec

nec iisdem sese revocari ad pietatem retrahi in viam patiuntur, sentient tandem ultimum illud & sempiternum supplicium in ultimo *Cornu* nostri circulo adumbratum, nempe extremi Judicii horrendam sententiam [Matth. 25,41.] & hinc rodentem inferni *Vermem* nunqvàm moriturum, Esa.66,24. Ultimum supplicium

Qvamvis enim æterna condemnatio omnes & singulos maneat peccatores in flagitiis qvibusvis pertinaciter & finaliter persistentes; tamen ex verbi neglectu præcipuè originem trahit: siqvidem æterna nec vita apprehendi nec mors evitari potest absq; verâ & salvificâ fide Marc.16,16. Joh.3,18. *Fides autem ex auditu est, auditus verò per verbum Dei* Rom.10,17. Qvicunq; igitur *verbum audire, & in corde honesto ac bono retinere* negligunt, Luc. 8,15. illi nec fidem concipiunt, nec fidei thesaurum [Christum cum gratiâ & merito suo] possident [Ephes.3,17. nec fidei fructum in vitâ piâ & honesta faciunt [Matth.7,18.] nec fidei virtutem in luctâ adversus mundum ejusq; principem Diabolum exerunt [1.Joh.5,4. Hebr.11,33.] nec deniq; *fidei finem salutem animarum reportant*, 1.Pet.1,19. Qvemadmodum hoc explicat ipse Salvator Luc. 8,12. ubi de oscitantibus auditoribus affirmat, qvòd *Diabolus tollat sermonem è corde eorum*, unde tristissima seqvitur jactura, *ne credant ideoq; nec salvi fiant.* Ejus præcipua causa

SECT. 4.

Qvomodo Cornu nostrum ostendat rationem effugiendi hæc mala.

Repente loqvor adversus gentem & adversus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud: si vero pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, qvod cogitavi, ut facerem ei, &c. Jer.18,7.8. Hæc ipsius Dei svavissima vox regiam nobis commonstrat viam, qvâ effugiamus horribile ejus judicium & ingruentia mala, declinemus: nimirum cogitandum serio de verâ resipiscentiâ & emendatione morum instituendâ. Pœnitentibus enim non modò peccata coram Deo ita condonantur [Luc. 24,47. Sap.12,19.] ne illis ad æternam damnationem imputentur (Ezech.33,11. 1.Pet.2,3.) sed etiam pœnæ corporales vel omninò tolluntur (Psal. 91,10. Jon.3,9.) vel certè mitigantur Esa.39,8. Jer.30,11. Psal.118,18. Hoc itaq, medium avertendi publicas clades sæpius inculcat spiritus Dei, Deut.30,2.3. Jer.3,12. cap.26,2.3. Esa. 55,7. Joel.2,13.14. Pœnitentiæ efficacia.

Porrò cùm pœnitentia vera, seria aut efficax æstimari neqveat, nisi dignos secum ferat fructus Matth.3,8. postulat ipsa ratio & necessitas, ut, si hoc modo gratiam Dei *qværere* (Amos 5,4.6.) & *invenire* (Heb.4,16.) gestiamus peccata recensita prorsus abdicantes, contrariis virtutibus sedulò studeamus, & sic *declinantes a malo faciamus bonum* 1.Pet.3,11. Esa.1,16.17. Fructus.

Qvomodo autem præsens monumentum non modo de salutari illâ pœnitentiâ nos commonefaciat, sed ejusdem qvoq; & veram indolem & præcipuos fructus depingat, ex iis patet, qvæ suprà in serie alterâ primi circuli fusiùs tractavimus, ad qvæ lectorem remissum volumus, ne hîc actum agere cogamur. Innoles superius depicta.

Deinde à primo circulo descendendum est ad septimum & ultimum, in qvo *cordis* extat imago novies repetita, docens omnes seriam acturos pœnitentiam, externâ voce, gestibus, actionibus in oculos hominum incurrentibus nihil profici apud Deum, nisi conversio & devotio ipsorum *novem*, hoc est, omnes cordis penetret recessus, & ex intimis animi penetralibus proficiscatur, qvo ita *ad Deum accedant cum vero corde* Hebr. 10,22. Qvod qvomodo in singulis Sedes.

pœnitentiæ partibus & genuinis fructibus qvotidiè expediendum sit, paucis indicabo.

Partes. Complectitur vera pœnitentia partes duas essentiales.

1. *Contritionem* seu serium doloremob commissa peccata, qvi *pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit*, 2.Cor.7.10. Hic autem neqvaqvam consistit in externis tantùm verbis, lachrymis, qverelis, gestibus, sed reqvirit intimos cordis affectus, ut *cor intus palpitet* Ps. 38,11. *contremiscat* Ps. 55,5. *magno mœrore & angustiâ conflictetur* Ps.25,17. &c. Unde Spiritus Dei *cor* hominis constituit, verum locum ac sedem pœnitentiæ. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, &c. *Scindite cor vestrum & non vestimenta vestra*, Joel. 2,12.13. Vis etiam & efficacia pœnitentiæ non alibi qvàm in corde se prodit: Hinc *Dominus propè adesse* dicitur *contractis corde & servare contritos spiritu* Psal.34,19. Hinc *Spiritus contritus & cor afflictum* nuncupatur *sacrificium, qvod Deus non despiciet* Ps.51,19.

2. *Fidem*, qvâ gratiam Dei merito Christi partam apprehendamus nobisq; applicemus. Hæc autem in ipso corde potissimùm exerere se debet, ut *corde credatur ad justitiam* Rom.10,10. Fidei itidem thesaurum Jesum Christum cum λύτρῳ mortis suæ corde imprimis amplectamur & foveamus, ut *habitet Christus per fidem in cordibus nostris* Ephes.3,17. verum qvoq; gaudium & solatium conscientiæ ex fiduciâ satisfactionis Christi resultans non nisi in corde sentitur: Hinc Spiritus S. qvoties veri hujus gaudii mentionem facit, cor plærumq; nominat ceu fontem & scaturiginem ejusdem, vid. Ps.4,8. Ps.13,6. Ps.73,26. Psal.105,3. Ps.116,8. Joh.16,22. &c.

Novam obedientiam qvod attinet, qvæ *fructus ferat dignos pœnitentiâ*, Matt. 3,8. nec illâ contenta est externâ solùm disciplinâ & morum sanctitate, nisi accedat simul interna cordis integritas, ut in eo odium, ira, invidia, securitas, superbia, libido, avaritia, aliiq; pravi ac vitiosi affectus, si non penitus extirpentur, saltem domentur & compescantur, ne ex horum numero simus, *qvi formam habent pietatis, sed vim ejus abnegant* 2.Tim.3,5. Probè hoc David intellexit, ideoq; Deo reconciliatus, & novam vitam inchoaturus, divinitùs petit, non novos oculos, aures, pedes, manus, &c. sed ita ingemiscit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis* Ps.51,12. vide Deut.5,29. cap.6,5. Ps.77,7. Ps.119,145. Luc.6,45. Rom.12,10. Ephes.5,19. &c.

Nec tantùm omnibus in genere ostendit cornu nostrum, qvid faciant, qvid fugiant, ut imminens supplicium remittatur, sed insuper illos in specie sui admonet officii, qvi cornuum instar præ aliis eminent, iisq; divinitùs præpositi, in statu vel Ecclesiastico, vel Politico, vel Oeconomico, de ipsorum salute corporali & spirituali Deo rationem aliqvando sunt reddituri.

Officium Ministrorũ Verbi. Nos, qvorum curæ Christus gregem suum pascendum æq; erudiendum concredidit, id agere omni studio ac conatu oportet, ut ipse veluti pretiosum illud *cornu Salutis* operâ & ministerio nostro ex luto ignorantiæ, incredulitatis & securitatis humanæ erutum, omnium non modo auribus oculisq;, sed etiam cordibus insinuetur. Qvod tum demum effectum dabimus, si tanqvam speculatores & tubicines divinitùs constituti [Ezech 3,8.] indesinenter *tuba* concionum & adhortationum nostrarum homines ex profundo securitatis veterno suscitatos, à flagitiis enormibus, ab irâ Dei & æterna pernicie avocaverimus, ad vitam autem & salutem à Christo comparatam & in Evangelio oblatam vocaverimus. Hinc præcipit Dominus, ut *in gutture nostro sit tuba* Hos. 8,1. ut *qvasi tubam exaltemus vocem nostram, annunciantes populo scelera & peccata sua* Es.58,1.

Et qvamvis multis concionibus diu nihil proficiamus apud pertinaces, non

non tamen nobis ideò labascendum aut remissiùs in officio nostro pergendum, sed instantiùs agendum tubâ comminationum divinarum, donec frangatur auditorum durities, &, si aliud obtineri non possit, impœnitentes saltem fiant ἀναπολόγητοι Rom.1,20. Nos verò redimamus animas nostras, prout facere jubemur Ezech.3,10. Qvæ me imprimis animavit consideratio ad inflandam hancce tubam, qvâ si stupor securitatis vel unius hominis pectori excutiatur, abundè mihi de hac meâ qvalicunq; opellâ satisfactum erit. Sed *plantet Paulus, riget Apollo, Deus dabit incrementum*, 1.Cor.3,6.

Qvonam vero modo & discrimine versandum in hac palæstrâ, & respectu diversi generis auditorum, nunc tubâ Legis, nunc buccinâ Evangelii clangendum, indicant Emblemata circuli secundi à nobis satis expositâ: Ergo crambem bis coctam apponere supersedemus.

Officium Magistratus. Magistratus etiam Politicus hìc sui admonetur officii, ut imminentes patriæ clades & calamitates amoliatur. Qvoties enim aspicit hoc *cornu* jussu & curâ Serenissimi Principis nostri sordibus purgatum & nitidè politum, toties instigari se putet, ut Jesum Christum *Salutis Cornu* in suo Evangelio, servis & membris indies magis magisq; foveat atq; exornet, sicq; osculetur filium Ps.2,12 Id qvod imprimis efficit.

1. Verum Dei cultum diligenter promovendo Ps.24,7. Ps.72,10.11. Ps.123,3.4. Deut.17,18. Jos.1,8. 2.Sam.7,2.3. 1.Regum 4,5. 2. Regum 18, 4. 2. Paral.17,3. & seq. Esa,49,23. &c.

2. Jus & justitiam æqvabiliter administrando, Levit.19,15. Deut.1,16. Prov.20 8. cap.28,12. cap.29,4.14. Esa.32,1. Zach.7,8. Sap.1,1.

3. Supplices benignè admittendo Prov.20,12. cap.16,15. cap.19,12. 2.Reg.6,28. Luc.22,25.

4. Ab infirmis & oppressis vim injuriam propulsando Ps.82,3.4. Esa. 1,17. Jer. 22,3. Job.29,12.

5. Pullulantia peccata justâ severitate coërcendo Deut.19,20. 21. Exod. 32, 27. 28. 1.Reg.2,5. Ps.101,8. Sir.10,1. Rom.13,4.

6. Subditos clementer & mansvetè tractando Prov.20,28.c.29,4.14. Ezech.5,5.

7. Coram Deo & hominibus se humiliando, Gen.18,27. cap.32,10. 2.Sam.7,17. Ps.131,1. Mich.6,8. Sir.3,17.18. Matth.11,29. cap.18,1. cap.20,25. Joh.13,12. Rom.3, 10.16. Ephes.4,1.2. Phil.2,3. Col.3,12. 1.Pet.5,5.6.

Officium Parentum. Pii qvoq; parentes pro suo virili *salutiferum* hoc *cornu* exaltare allaborant, cùm de liberis suis ritè educandis solliciti, veram pietatem statim à primâ pueritiâ teneris ipsorum animis instillari curant, ut *ex ore infantium & lactentium* Christo *fundetur* Cornu, hoc est, *robur & gloria* Psal.8,3. Id qvòd seriò urget Spiritus Dei Ephes.6,4. Deut.6,7. Ps.78,5. & seq. Hæc juventutis diligens educatio non parum facit ad patriæ incolumitatem asserendam: pueruli enim piè instituti, utpote Christo charissimi (Marc.10,14.16.) & Angelorum custodiâ muniti (Matth.18,10. Gen.16,17. cap.32,1.) sæpiùs in causa sunt, cur totæ nonnunqvam civitates, regiones, regna plurimis divinitùs & bonis cumulentur, & malis liberentur. Documento sit Urbs Ninivitica, cui ob parvulorum imprimis copiam impunitas concessa, Jon.4,11.

Sursum corda. Unum adhuc restat, qvod *aureum* nobis *cornu* suggerere potest & debet, monente A. Augustino enarrat: in Psalm. 97. Omnia ossa sunt cute obducta, carne involuta, solum *Cornu* carnem cutemq; excedens, in altum porrigitur: consimiliter omnes veri & fideles Christi cultores sursum tendunt desiderio, excedunt res omnes terrenas, transcendunt carnales affectus, aspirant ad superna

& cœlestia, atq; sic *carne calcant terram & Spiritu erumpunt in cœlum*, ut loqvitur ibidem Augustinus. Qvod congruit consilio Pauli Col. 3,1.2. *superna qværite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: superna curate, non terrestria.*

Orandum. Deniq; cum nihil horum, qvæ hactenus enarravimus, in nostris situm sit viribus ac potestate, utpote qvi *non idonei sumus ex nobis ipsis cogitare qvicqvam* (bonum & salutare) *tanqvam ex nobis ipsis* 2.Cor.3,5. Imitemur nudos illos homines, qvi in utraq; serie circuli primi complicatas manus ad cœlum tollentes, divinam implorant opem: ita nostrum est, devotis qvotidiè precibus apud Deum omnis boni datorem & autorem instare, dignetur virtute Spiritus sui sanctissimi operari in nobis, καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας Phil.2,13. Et *ipse* (spiritu suo per verbum) *nos convertere*, *ut* (verè & efficaciter) *convertamur*, Jer.31,18. Thren.5,21. Atq; sic *in nobis opus bonum* non modò *incipere* sed etiam *perficere usq; ad diem Jesu Christi*, Phil.1,6.

Hæc, inqvam, certa, tuta ac verè regia est via *effugiendi futuram iram* Luc. 3, 7. qvàm si dextrè ingressi, fideliter perrexerimus, cladem imminentem Deus opt. max. vel planè tollet, Ps.91,10. vel clementer mitigabit Jerem.30,11. Ps.118,18. &c. Imò qvicqvid tandem evenerit, novit tamen Dominus modum fideles suos ex publicis malis & periculis eripiendi Ps.33,18.19. Ps.91,7. Ps.105,15. Job.38,11. Qvod ostendunt exempla *Nohæ* in diluvio cum suis servati Gen. 6. & 7. *Lothi* ab igne Sodomam subvertente erepti, Gen.19,16. *Populi Israëlitici* in mediis plagis Ægyptiacis illæsi Exod. 11,7. *Ecclesiæ Christianorum primitivæ*, qvæ ante ultimum Hierosolymæ excidium monente oraculo Pellam, urbem Agrippæ Regis Romanorum amici, se recepit, Euseb.lib.3.cap.5. Egesip.lib.5.cap. 2. Vel si etiam sapientissimæ ipsius voluntati placuerit, pios simul communibus involvere calamitatibus Eccles.9,2. nunqvam tamen curam, qvam pro iis suscepit, deponet, *nec ipsos supra vires tentari sinet, sed cum tentatione largietur eventum, ut sufferre qveant.* 1.Cor.10,13. Interim *omnia* (etiam bella, cædes, direptiones, &c.) *illis in bonum cooperabuntur; nec qvicqvam unqvam erit, qvod possit ipsos à charitate Dei separare* Rom. 8, 28.35.38.39.

Pii Deo sunt cordi & curæ.

Conclusio. *Hæc sunt mea de aureo hoc Cornu cogitata, qvæ omnibus bonis & piis expendenda, æstimanda, censenda offero atq; committo.*

Roëschild. prid. Kalend. Septembr.
Anno 1643.

Envaldus Nicol. R.

V. C.

Dn. M. ENVALDO NICOLAI OLAUS WORM S. D.

Eruditum tuum de aureo cornu commentarium avidè perlegi. Non potuit non placere tam pium, tamq; egregium tuum institutum, qvo gentis nostræ securitatem, pertinaciam, ac prototà Deo opt. max. nobis collatis beneficiis ingratitudinem, vel hoc medio excutere ingeniosè allaboras. Nescio enim qvi fiat qvod externis ejusmodi in oculos incurrentibus magis qvandoq; moveri soleat vulgus; qvam ipsis verbi divini exhortationibus, admonitionibus, & qvæ indies proclamantur, comminationibus. Nisi forsan

Segnius irritent animos demissa per aures,
Qvam qvæ sunt oculis commissa fidelibus.

D. Paulum imitari mihi videris qvi Act. XVII. visâ Ethnicorum qvâ Athenis erat aràignoto Deo consecrata, illam aptè proposito suo applicuit ac inde ansam arripuit, de rebus verè Divinis differendi, ac semina Religionis Christianæ feliciter spargendi. Aptè & concinnè è vivis israëlis fontibus singula derivas, ut vix credam qvenqvam fore, qvi jure qvidqvam desiderare possit, qvod ad vitam piè transigendam reqviratur. Ex te jam discat divinorum beneficiorum audaculus contemptor, nobile hoc subjectum dignum esse in qvo bonas horas collocet is, qvi literas, qvi honestatem, qvi pietatem amat. At à Rege aliqvo Christiano elaboratum ut credam hoc cornu nondum mihi persvadere valeo.

Videmus primitivæ Ecclesiæ patres, nullam planè intermisisse occasionem, qva Christi meritum ac passionem, si alia neqvirent, rudium animis insinuarent, vel crucis signo, vel JESU *nomine, vel aliis ejusmodi. De Labaro Constantini aliisq; ejus generis nihil dicam. Cornua animalium, qvibus potum administrabant majores nostri, ejusmodi notis insignita in museo meo nuper apud me vidisti, & qvidni horum vestigium aliqvod in aureo hoc reliqvissent? characteribus in eo extantibus non tam fidei articulos, qvam mores hominum informare ac vitia, stupenda monstrosaq; eo sæculo grassantia redarguere voluisse Autorem facilis largior. In eo enim adeo operosos fuisse Ethnicorum multos, ut Christianis vix cesserint, qvis ignorat? Consule Stoicos, Epictetum, Senecam, alios q; ejus secta, in qvibus vix qvicqvam, præter veram in Christum fidem desiderabis. Nec tamen qvisqvam exinde qvod præcepta tradiderint honesti ac civili conversationi congrua,*

Chri-

Christianos fuisse collegerit. At dices, exactè sacris literis congruere dogmata, qvæ ex hisce Emblematis eruuntur, ut ex iis planè desumpta fuisse fateri necessum habeamus. In aliis profanis picturis idem experiri si qvis velit, rarum erit si non ingeniosè se accommodaverint applicationi. Tentârunt id in Ovidij meramorphosi qvidam, non sine successu; adeo ut integras historias sacras ex ejus elicuerint fabulis. Inde tamen Nasonem Christianis sacris initiatum fuisse nemo facile dixerit. Qvin nec per Ænigmata & Hieroglyphica docendi modum, priscis patribus Christianis, in usu fuisse animadvertimus. Planam, perspicuam & cujusvis captui aptam requirebant methodum, qvâ ab omni fermè humanitate alienis, Christum insinuarent crucifixum ac secundum ejus normam vivendi leges traderent. A qva qvantum hæc distet, novit is qvi in hoc pulvere desudavit. Oedipo certè opus foret perpetuo, qvi qvotiescunq; hoc cornu in usum venit, ex ejus sigillis argumenta deprometeret valida, ad animos percellendos, ac à vitiorum cœno in virtutis semitam pertrahendos. Conjecturis qvidem hic agimus: sed qvo probabiliores eò firmiores ac ponderis majoris.

Interim largimur faciles, ut ex stercore Ennii, margaritas collegit Maro: ita ex profanis, divinis consona dici posse dogmata non sine maximo vulgi emolumento. In hoc cum feliciter adeo desudasse te videam, ut vix alter palmam tibi sit præreptarus, gratulor, utq; pias hasce meditationes in Christi gloriam & pietatis apud nos incrementum pluribus communes facias, hortor. Mihi meisq; conatibus tantum abest adversari ut putem ut potius de svavi consensu gaudeam; inprimis qvod scopum meum assecutum me jam videam, qvo præclaris ingeniis de nobili hoc subjecto ulterius cogitandi occasionem præbere allaboravi. Vale & vive Ecclesiæ bono. Hafniæ Idib. Nov. Anni M. DC. XLIII.

HAbes, Lector, judicium Clarissimi Dn. D. WORMII de hoc tractatu, qvod eò pluris facio, qvo felicius Vir ille dudum in hoc pulvere desudavit. Cum igitur de ipsâ rei summâ, & imprimis de *usu*, qvem hodie præstare debeat inventum *Cornu*, inter nos probè conveniat, non est, qvod de *Autore* magnopere contendamus; de qvo nihil, qvod definitum sit aut certum haberi potest. WORMIUS eqvidem, qvi sua derivavit è Scriptoribus prophanis, prophanum etiam atq; ethnicum ejusdem non immeritò statuit Autorem. Ast ego, cum hujus monumenti & formam, & materiam, & singula Emblemata manifesto in divinis reperiam scripturis, non possum non opus ipsum homini Christiano & qvidem sacrarum literarum apprime perito ferre acceptum.

Qvemadmodum autem omnis cognitio nostra primordium ducit à sensibus, ita & notitia Dei sese per duos imprimis sensus nobis insinuat, per *visum*, inqvam & *auditum*, qvi propterea in paginâ sacrâ sæpiùs conjunguntur, ut Matt. 11, 4. cap. 13, 13. Luc. 11, 23. 24. Act. 4, 20. Rom. 11, 8. Deut. 29, 4. Esa. 6, 10. cap. 52, 15. Ezech. 12, 2. cap. 40, 4. &c.

Auditus unicè versatur circa verbum prædicatum, qvo Christus crucifixus mortuus & redivivus planè & perspicue annunciatur, ejusq; noticia salutaris unâ cum verâ fide & pœnitentiâ hominum animis instillatur. Hinc ortus & gene-

generatio fidei ascribitur *auditui* Roman. 10, 17. Confer Luc. 11, 28. Actor. 2, 37. cap. 10, 44. cap. 16, 14. &c.

Visus occupatur potissimùm in externis Dei operibus, in hac videlicet pulcherrima cœli terræq; machinâ, ac singulis ejus partibus & creaturis, in qvibus illustria conspiciuntur testimonia divinæ virtutis, sapientiæ, bonitatis, Rom. 1, 20. Ps. 19, 1. 2. Job. 26, 7. & seq. cap. 38, 4. & seqvent. Sir. 43, 1. &c. Unde Basilius theatrum Mundi nuncupat παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, vid. Chrysost. Homil. 9. ad pop. Antioch. Hoc itaq; respectu *Visus* etiam à nobis freqventissimè exigitur, Joh. 9, 39. Rom. 11, 22. 1. Cor. 13, 12. Hebr. 2, 9. Esa. 52, 8. 10. 15. Mich. 7, 9. Hab. 2, 1. &c.

Hæc porrò qvaliscunq; Dei noticia, qvæ ex Creaturarum contemplatione hauritur, Ethnicos etiam ad verum ejus cultum inducere potuisset, nisi ipsi suâ ingratitudine & malitiâ posuissent obicem, Rom. 1, 21. Cum enim vera & legitima verum Deum colendi ratio neutiqvam illis innotesceret ex solâ creaturarum inspectione, occasionem hinc arripere meritò debuissent ulterius inqvirendi, nec prius desistendi qvàm ad tutam & regiam viam perveniissent, nempe ad verbum revelatum, qvod tunc post ascensionẽ Domini ubiq; locorum omnibus penè gentibus prædicari cœpit, Psal. 19, 4. 5. Unde Paulus hoc præsertim nomine Ethnicos pronunciat ἀναπολογήτους, Roman 1, 20. Hinc est, qvod Spiritus S. toties ad visibilia & conspicua Dei opera provocet, Sap. 13, 1. ac verbi contemptores ableget ad *cœlum*, Psal. 19, 2. Esa. 40, 26. Sir. 43, 1. ejusq; sydera Sir. 43, 2. 6. 9. & seqvent. ad *Aërem* ejusq; nubes, Job. 26, 8. meteora, Sir. 43, 12. & seqq. Volatilia, Job. 12, 7. Jerem. 8, 4. Matt. 6, 26. ad *Terram*, Job. 12. 8. cap. 38, 4. ejusqve Jumenta, Esaiæ 1, 3. Job. 12, 7. lilia, Matt. 6, 28. ad *Mare*, Jer. 5, 22. ejusq; pisces Job. 12, 8. &c. Qvod imprimis observârunt Doctores θεόπνευστοι, qvando negotium ipsis fuit cum gentilibus, qvos primum ex operibus externis in oculos incurrentibus divinam æstimare providentiam jusserunt, ut ita ferventes desiderio cognoscendi verum illum Deum tempestivè omnia moderantem, eò avidius ex oblato sibi Evangelio noticiam essentiæ, voluntatis ac beneficiorum ipsius acqvirerent, & sic fidem salutarem tandem conciperent. Hoc modo Apostoli Paulus & Barnabas aggressi sunt cives Lystrenses, cum ob hominem claudum miraculosè sanatum ipsis, veluti Diis humanâ apparentibus formâ, honores divinos tribuere ac victimas immolare pararent; Lystrensium superstitioni & idololatriæ obviam ierunt hoc potissimùm argumento: qvod verus ac vivus Deus, cui soli cultus religiosus debetur, *non sivit seipsum ἀμάρτυρον*, hoc est, *testimonii expertem, qvandoqvidem beneficia sua de cœlo semper contulit, dans pluvias & fœcunda tempora, implens cibo & lætitia corda hominum*, Act. 14, 17. Idem postea Paulus Athenienſibus inculcavit Philosophis, qvibus *ignotum* illum *DEUM*, qvem colebant ignorantes, insinuavit non Crucis figurâ, non Jesu nomine aut aliis ejusmodi signis, qvæ ex verbo revelato petenda sunt, sed externis & visibilibus ejusdem operibus, & universali providentiâ, qvâ totum terrarum orbem, cum rebus omnibus, ac præsertim genus humanum & creavit & adhuc auget ac sustentat; *fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, præfiniens statuta tempora & terminos habitationis eorum: ut qværerent Deum, si forte palpent eum & inveniant, qvamvis non longè absit ab unoqvoq; nostrum*, &c. Actor. 17, 26. 27.

Cum verò homines eò pertinaciæ & dementiæ processerint, ut non modò

auribus

auribus ad vocem DEI in verbo ſonantem, ſed etiam oculis ad imaginem ejus in creatura relucentem malignè clauſis, nec audire ſcripturam, nec intueri naturam dignentur: Spiritus ſanctus tertium nonnunqvam medium & ex utroq; mixtum adhibere conſvevit, diverſa hominum, animalium, & rerum in naturâ extantium, vel monſtrorum etiam in eâdem ſubinde provenientium producendo ſimulachra, qvorum tamen ſenſus & ſignificata ſub iiſdem figuris exhibentur in ſcripturâ, atq; inde dextrè explicari, & ſpectatoribus commodè applicari poſſunt, ut ita ſimul & inſpicientium oculos & audientium aures percellant. Prophetis uſitatiſſimum qvondam fuiſſe hunc per ænigmata & figuras hieroglyphicas docendi modum, norunt qvotqvot eorum ſcripta à limine ſalutarunt. Ne qvis verò morem illum in Novo Teſtamento plane abrogatum putet, expendat, qvæſo, viſionem illam Petro Apoſtolo oblatam, Actor. 10, 11. & ſeq. Petro namq; ut & cæteris Apoſtolis diſertè Chriſtus in mandatis dederat, ut absq; omni πϱοσωποληψία *docerent omnes gentes*, Matth. 28, 19. *prædicarent Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16, 15, adde Luc. 24, 47. Actor. 1, 8. &c. Verùm cum Petrus hîc tergiverſaretur, & expreſſum Magiſtri ſui mandatum negligeret, Ethnicorum converſationem vehementer averſatus: jam figuris hujuſmodi agebat Chriſtus, & ſummiſſo è cœlis in terram vaſe veluti linteo magno, in qvo conſpiciebantur *omnia qvadrupedia terræ, beſtiæq; & reptilia & volatilia cœli*, ipſum ſui admonebat officii, &c. Idem deprehendere licet in Apocalypſi Johannis, qvæ variarum imaginum ac typorum involucris Eccleſiæ conditionem adumbrat, calamitates delineat, Diaboli ejuſqve aſſeclarum ſævitiam & malitiam depingit, præclaras autem conſolationis ſimul ſubminiſtrat.

Qvid ergò vetat, qvin ad eandem claſſem referamus *aureum* hoc *Cornu*, qvod ſub iconibus illarum rerum, qvæ in naturâ qvotidie oculis noſtris obverſantur, præclara vobis inſinuat dogmata, qvæ tamen iiſdem figuris in ſacro etiam codice exprimuntur: id qvod ſingulorum Emblematum enodatio evidenter oſtendit.

1. Inqvis: *Ethnicorum multi inſignia tradiderunt præcepta de virtutibus colendis, vitiis fugiendis, nec tamen qviſqvam inde Chriſtianos fuiſſe collegerit.* Reſponſ. virtutes illas, qvas imprimis cornu noſtrum delineat, ut: veram pœnitentiam ejuſq; fructus genuinos; & vitia, qvæ præcipuè taxat, ut pravitatem hominis naturalem, contemptum Evangelii, perſecutionem fidelium, &c. Ethnici nec intelligere nec explicare potuerunt.

2. Regeris: *Ovidij Metamorphoſis & aliæ fabulæ ac picturæ prophanæ haud inceptè ſcripturis ſacris applicari poſſunt: Inde tamen Naſonem Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe nemo facilè dixerit.* Reſponſ. 1. Nonnulla ex libris Moſis, ut: Creationis Mundi hiſtoria, diluvium, ædificatio turris Babel, & ſimilia, Ethnicis innotuerunt Scriptoribus, qvæ fabulis tamen deformata, vel ænigmatum hieroglyphicorum tenebris involuta, ſcriptis ſuis inſeruerunt. Pythagoram aurea ſua dogmata de Deo deq; moribus & virtutibus, qvæ per ſymbola tradidit, à Moſe & Prophetis didiciſſe, docent Euſebius libr. 10. de præparat. Evang. cap. 2. Theodor. lib. 2. de Principiis. Origen. libr. 1. contra Celſum. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 20. ad Irenæum. Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Joſephus lib. 1. contra Apionem, &c. Platonem in Ægyptum profectum fuiſſe, atqve ibidem ſapientiam, qvam Ægyptii à Jeremia & Hebræis hauſerant, perdidiciſſe, & imprimis ſcripta Moſaica legiſſe, atqve hinc multa in ſuos tranſtuliſſe libros, ſcribunt Juſtinus Martyr in Paracleſi ad gentes

tes, Euſeb. in præpar. Evang. Theodor. de Græcorum affectionibus, &c. Unde Numenius Philoſophus dixiſſe fertur: Τί ἐστι πλάτων ἢ μωϋσῆς ἀττικίζων, hoc eſt, *Qvid eſt Plato niſi Moyſes atticiſſans?* Reuchlin. libr. 2. de art. Cabal. Qvos ſecuti poſtmodum Poëtæ & Philoſophi Græci & Romani, multas ſuas gnomas, doctrinas, fabulas ex ſacris derivatas in medium protulerunt; qvæ proinde non adeo difficili negotio ex involucris Poëtarum erui, & ad hiſtorias ſacras revocari atq; in locum ſuum reſtitui poſſunt. Verùm de Emblematis *Cornu* noſtri aliter ſentiendum: ſiqvidem eo ævo, qvo illud elaboratum ſtatuit D. WORMIUS, Dani Græcarum pariter & Romanarum literarum planè ignari, nihil ſcriptorum iſtorum ope ex monumentis divinis deſumere, atq; obſcuris ænigmatum, figuris implicare potuerunt. 2. Deinde non dubium eſt, qvin Poëtæ ſingulis ſuis fabulis ac figmentis occultè præcepta utiliſſima de vitæ honeſtate & moribus ritè informandis ſuppeditare voluerint: cum autem idem argumentum ſæpius etiam in ſcripturis divinis urgeatur, promptum utiq; erit cuivis in ſacris mediocriter verſato, *ipſum materiale*, hoc eſt, moralia illa ad ſacrum codicem traducere, & ſuum cuiq; locum atq; ſedem ibidem aſſignare. Sed univerſa illa ſimulachra & figuras hieroglyphicas, in Metamorphoſi Ovidianâ, aliisq; Ethnicorum ſcriptis occurrentes, qvibus ſana ejuſmodi dogmata ac monita continentur, in ſacris qvoq; literis reperiri, atq; inde ſecundum formam pariter & materiam commodè explicari poſſe, qvemadmodum hoc præſtiti in omnibus cornu aurei emblematibus, hoc eſt qvod diſertè nego, & periculum ſi qvis fecerit, contrarium [procul dubio] experietur.

Chriſtum crucifixum non per obſcura ænigmata aut characteres hieroglyphicos, ſed clarè & expreſsè voce vivâ & doctrinâ perſpicuâ hominum mentibus inſinuandum eſſe & ego dico & pluribus etiam probavi part. 2. cap. 1. Sect. 1. & 8. Hujuſmodi autem Symbolis ac picturis in oculos incurrentibus non parum moveri nec rarò etiam præparari ſolent animi hominum, ut verbum prædicatum ſaltem audiant, atq; hinc CHRISTUM noſſe & verâ fide amplecti diſcant, &c.

Inſtas: *Oedipo opus foret perpetuo, qvi qvotiescunq; hoc cornu in uſum venit, ex ejus ſigillis argumenta depromeret valida ad animos percellendos, & à vitiorum cœno in virtutis ſemitam pertrahendos, &c.* Reſp. Aptiſſimum fuiſſe hoc inſtrumentum ad convincendos Danorum animos inde colligitur, qvod majores noſtri qvondam aſſveti fuerint ſymbolis illis hieroglyphicis: Runæ ſiqvidem & Scaldri ſacra ſua arcana per ejuſmodi animalium figuras aliarumq; rerum paradigmata rudi populo inſinuare conſveverant, teſte ipſo WORMIO. Unde eadem ratio CHRISTI qvoq; ſacra inſtillandi noſtræ genti haud incommoda primævis Doctoribus videri potuit; Exemplo ipſius Dei, qvi ſe hominum accommodans, ingeniis, media converſionis qvam maximè ipſis apta conſentaneaq; concedere ſolet: qvemadmodum Magis Orientalibus, Aſtronomiæ peritis novam in cœlo ſtellam exhibuit, Matth. 2, 2.

Ex hiſce [uti ſpero] manifeſtè conſtat, conjecturam, qva pretioſum hoc opus Chriſtiano aſcribimus Autori, nec abſurdam nec planè improbabilem eſſe: qvamvis hic certi qvicqvam vel affirmando vel negando definire nolim. Satis eſt, hoc tempore Chriſtianis illud oblatum eſſe, ac proinde Chriſtiano more tractandum, atq; in Chriſti gloriam & Chriſtianorum commodum ae ſalutem impendendum. Imitemur Iſraëlitas, qvi veſtes pretioſas nec non vaſa aurea & argentea, qvæ mutuò acceperant ab Ægyptiis, hominibus idololatricis & ſuperſtitioſis, [Exod. 12, 36.] poſtea ad ſtructuram tabernaculi ſacri promptiſſimè

ptissimè contulerunt Exod. 25. Ita & præsens κειμήλιον à qvocunq; etiam profectum sit Autore, in usum nostrum convertamus, & ad Dei gloriam 1. Cor. 10, 31. atq; Ecclesiæ ædificationem sponte transferamus; 1. Cor. 14, 26. monente A. Augustino lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 4. *Ethnici si qvæ forte vera & fidei nostræ accommoda dixerunt; non solum formidanda non sunt, sed ab iis etiam tanqvam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.*

SUSPIRIUM.

DEum, misericordiæ patrem [2. Cor. 1. 3.] votis invoco ardentissimis, ut tristi ac turbulento hoc tempore consvetum cornu præsidii & auxilii sui [2. Sam. 22, 3.] è cœlis exerere [Psal. 18. 17.] in salutem Ecclesiæ ac patriæ nostræ dulcissimæ; [Psal. 85, 8.] horrenda verò Diaboli, Mundi, omniumq; hostium, tam spiritualium qvàm corporalium levata in nos cornua, [Zach. 1, 21.] potenter conterere [Jer. 48, 25.] dignetur: Qvò & hic liberi à metu inimicorum ipsi serviamus in sanctitate & justitiâ cunctis, vitæ nostræ diebus [Luc. 1, 74. 75.] & ibi gloriæ atqve læticiæ cœlestis participes [Ps. 16, 11.] Jesu Christo cornu salutis [Luc. 1, 69.] conjuncti [Joh. 14, 3. cap. 17, 24.] sacrosanctam Trinitatem facie ad faciem perpetuo videamus, [1. Cor. 13, 12. 1. Joh. 3, 2.] Amen.

OB-

OBSCURA ALIQVOT SCRIPTURÆ LOCA IN HOC OPUSCULO OBITER EXPLICATA.

ERit Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens ungulas eqvi, ut cadat ascensor ejus retro.	pag. 13.	Gen. 49, 17
Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usq; ad terminos terræ.	pag. 5.	Deut. 33, 17.
Sacerdotes tollent septem buccinas, qvarum usus est in jubilæo.	pag. 3.	Jos 6, 4.
Arguam eum in virgâ Virorum, & in plaga filiorum hominum.	pag. 28.	2. Sam. 7, 14
Numqvid præbebis eqvo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Numqvid suscitabis eum qvasi locustas? gloria narium ejus terror, terram ungulâ fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.	pag. 25.	Job. 19, 19. 20.
Funem meum solvit & afflixit me: & ipsi frenum suum coram facie mea dimiserunt.	pag. 32.	Job. 30. 11.
Si fuerint in catervis, & vinciantur funibus afflictionis.	pag. 31.	Job 36, 8.
Disrumpamus vincula eorum, projiciamus funes ipsorum.	pag. 32.	Ps. 2, 3.
In funibus tuis diriges contra faciem eorum.	pag. 30.	Ps 21, 13.
Et decore tuo prosperè eqvita cum verbo veritatis.	pag. 32. & 52.	Ps. 45, 5.
Virga directionis, virga regni tui.	pag. 27.	Ibid. v. 7.
Adstat Regina à dexteris tuis in auro Ophir.	pag. 11.	Ibid. v. 10.
Eqvitare fecisti homines super capita nostra.	pag. 23.	Ps. 66, 12.
Nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu vestrum.	pag. 4.	Ps. 75, 5. 6.
Exaltabitur, sicut Unicornis cornu meum.	pag. 5.	Ps. 92, 11.
Virgam virtutis tuæ emittet ex Sion.	pag. 26.	Ps. 110, 2.
Cornu ejus exaltabitur in gloria.	pag. 4.	Ps. 112, 9.
Sacerdotes ejus induam salute, & sancti ejus exultatione exultabunt: Illic germinare faciam cornu David, parabo lucernam Christo meo.	pag. 54.	Ps. 132, 16, 17
Iniqvitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.	p. 31.	Prov. 5, 22.
Oblectabit se lactens super foramen aspidis, & qvi nuper ablactatus fuerit, manum suam injiciet in cavernam Basiliſci.	pag. 52.	Esa. 11, 8.
Revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultrà interfectos suos.	pag. 55.	Esa. 26, 21.
In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi & forti, super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum.	pag. 63.	Esa. 27, 1.
Posuit os meum qvasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetrâ suâ abscondens me.	pag. 29.	Esa. 49, 2.
Eqvitare te faciam super altitudines terræ.	pag. 23.	Esa. 58, 14.
Ossa vestra qvasi herba germinabunt.	pag. 36.	Esa. 66, 14.
Succiderunt saltum ejus, qvi supputari non potest.	pag. 30.	Jer. 46, 23.
Abscissum est cornu Moab, & brachium ejus contritum est.	pag. 6.	Jer. 48, 5.
Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël.	pag. 6.	Thren. 2, 3.
Qvomodo obscuratum est aurum, mutatum est aurum optimum? dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.	pag. 10.	Thren. 4, 1.
Lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.	pag. 5.	Ezech 34, 21
Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei.	pag. 27.	Hos. 4, 12.
Transivi super pulchritudinem colli ejus, ascendam super Ephraim.	pag. 23.	Hos. 10, 11.

Hos.11,4. *Funiculis hominum traham eos, vinculis amoris.* pag.32.

Amos 6,13. *Nunqvid in fortitudine nostrâ assumpsimus nobis cornua?* pag.2.

Mich.4,13. *Cornu tuum ponam ferreum & ungulas tuas æreas, & comminues populos multos.* pag.7.

Hab. 1,16. *Immolabit sagenæ suæ & sacrificabit reti suo.* pag.20. & 73.

Hab.3,8. *Ascendisti super eqvos tuos, & qvadrigæ tuæ salvatio.* pag.23.

Zach. 1,8. 9,10, 11, 12. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super eqvum rufum, & ipse stabat inter myrteta, qvæ erant in profundo, & post eum eqvi rufi, varij & albi: Et dixi: Qvid sunt isti, Domine mi? & dixit ad me Angelus, qvi loqvebatur in me: Ego ostendam tibi qvid sint hæc. Et respondit vir, qvi stabat inter myrteta, & dixit: isti sunt, qvos misit Dominus ut perambulent terram. Et responderunt Angelo Domini, qvi stabat inter myrteta, & dixerunt: perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur & qviescit. Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usq; qvo tu non misereberis Jerusalem & Urbium Juda, qvibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est,* pag.23.

Ibid. v. 18, 19, 20, 21. *Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce qvatuor. Et dixi ad Angelum, qvi loqvebatur in me: Qvid sunt hæc? & dixit ad me: Hæc sunt cornua, qvæ ventilaverunt Judam, & Israel & Jerusalem. Et ostendit Dominus mihiqvatuor fabros. Et dixi: Qvid isti veniunt facere? Qvi ait, dicens: Hæc sunt cornua, qvæ ventilaverunt Judam per singulos viros, & nemo eorum levavit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, qvæ levaverunt Cornu super terram Juda, ut dispergerent eam.* pag.5. & 7.

Zach 4,2. *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, &c.* pag.11.

Zach. 6,1. 2. 3. & seq. *Et conversus sum & levavi oculos meos, & vidi: & ecce qvatuor qvadrigæ, egredientes de medio duorum montium: & montes, montes aurei. In qvadrigâ primâ eqvi rufi: & in qvadrigâ secundâ eqvi nigri: & in qvadrigâ tertiâ eqvi albi: & in qvadrigâ qvartâ eqvi varij & fortes, &c.* pag.25.

Et posuit eos qvasi eqvum gloriæ suæ in bello. pag.25.

Zach.10,13. Zach.11,7. *Et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum.* pag.27.

Sir: 5, 7. *Misericordia & ira apud Deum citæ sunt, sed super peccatores incubabit ejus indignatio.* pag.86.

Sir.19,3. *Putredo & vermes hæreditabunt eum.* pag.35.

Sir. 47,9. *Contrivit Cornu eorum usq; in hodiernum diem.* pag.5.

Mat.12,43. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, qværens reqviem & non invenit.* pag.64.

Mat.23,35. *Ut veniat super vos omnis sangvis justus, qvi effusus est super terram.* pag.57.

Luc. 1,69. *Et erexit Cornu salutis nobis In domo David, pueri sui.* pag.8.

Luc.10,19. *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* pag.14.

1.Cor. 3,12. *Si qvis superstruit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, fœnum, stipulam: cujusq; Opus manifestum fiet.* pag.10.

Apoc.3,18. *Svadeo tibi emere à me aurum igne purgatum ut locuples fias.* pag.10.

Apoc.11, 13 *Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars Civitatis cecidit* pag.39.

Apoc.19, 11 *Et vidi cœlum apertum, & ecce eqvus albus: & qvi sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax, &c.* pag.25.


Emendanda.

Prior numerus paginam, posterior lineam designat.

PAg.1. lin.19. leg. rhinocerotis. lin.26. Psſ.22. pag.3. 20. חרוע 4.8. pulcherrimæ. 6.33. deletionem. 7.24. citoq;, lin.36. 2.Reg.19. pag.29. Hebr.4,16. pag.12.25. Job.20. pag.25.32. terror. 28.33. positu. 29.36. vel asciam. 36.2. & excoriata. 37.24. Esa.29. pag.38.18. addere. 40.7. lib.7. pag.43.38. divitiis. 52.7. qvi nuper. 53.18. Psſ.133.2. Jer.41.5. Ezech.5.1. pag.54.46. cum sui generis bestiis. 55.33. aliæ aliis. 57.35. hoc &. 58.46. Psſ.73. Psſ.35.21. pag.60.33. Psſ.58. pag.62.14. ut revivisc ant. 64.29. publicè. 65.15. repugnat. 68.21. Si enim. 71.4. è latebris. lin.26. Hag.2,24. lin.28. Sap.6. lin.37. cap.57,1.2. pag.75.29. Gen.19. pag.78.31. moliebatur. 79.40. vi captum. 82.2. Ita hanc. 83.38. inundavit. lin.39. in nos. 87.15. verbi sui, adde: doctrinâ & consolatione orbatos, nec non gratia Spiritus sui. lin.38. Hos.13. lin.42. qvæ illi. 88.9. Psal.50,16.17. pag.89.4. publica. lin.24. Ægyptij. 90.6. sentient. 93.19. Psal.122,3.4. lin.32. Rom.12,3. pag.95.l.11. hortationibus. lin.25. Ecclesiæ. pag.96.l.5. Metamorph. lin.18. duci. lin.22. dele: ut: putem,

Reliqva minoris sunt momenti.

A. 3144 BIBLIOTEKA



Xv 8 89.

Z

E. XXII 475

74788

PLANGOR ET PLAVSVS URBIS GEDANENSIS

SEV

ORATIONES DUÆ.

PRIMA

SVPER EXCESSV

SIGISMUNDI III.

ALTERA

SVPER ELECTIONE

VLADISLAI SIGISMUNDI

REGVM POLONIÆ ET SVECIÆ &c.

publicè dictæ

â

JOHANNE MOCHINGERO.



BIBLIOTHEK ZUR DANZIGER STADT-BIBLIOTEKA GDAŃSKA P·A·N

GEDANI,
EDITÆ SUMPTIBUS ET TYPIS G
ANNO
M. DC. XXXII